No
BIBLIOTHEK
von
L. W. Schaufuß

QL573
G78

New York
State College of Agriculture
At Cornell University
Ithaca, N. Y.

Library

Cornell University Library
QL 573.G78
Monographia coleopterorum micropterorum
3 1924 018 337 836
ent

DATE DUE

| | | | |
|---|---|---|---|
| ~~MAY 0? 1990~~ | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |

RETURN TO

ENTOMOLOGY LIBRARY
Cornell University
Ithaca, N. Y.

# MONOGRAPHIA

# COLEOPTERORVM MICROPTERORVM

AVCTORE

I. L. C. GRAVENHORST
DOCTORE PHILOSOPHIAE IN ACADEMIA
GEORGIA AVGVSTA GOTTINGENSI.

---

GOTTINGAE

TYPIS HENRICI DIETERICH.

1806.

QL573
G78

46343

VIRO

ILLVSTRI ATQVE DOCTISSIMO

# AVGVSTO GVILIELMO KNOCH

PHYSICES ET MINERALOGIAE PROFES-
SORI IN COLLEGIO CAROLINO
BRVNSVIGAE,

ENTOMOLOGO CELEBERRIMO,

CVIVS COMMVNICATIONIBVS HOCCE OPVSCVLVM
COLLECTANEA PLVRIMA NOVA DEBET

HANC

MONOGRAPHIAM MICROPTERORVM

GRATO ANIMO

DEDICAVIT.

AVCTOR.

# PRAEFATIO.

Quod iam anno 1802. edidi *Syſtema Coleopterorum Micropterorum* artificiale naturali quidem, quatenus fieri poterat, adaequare tentabam; ſaepius autem exceptiones obſtabant mihi probantes, naturam vincula ſyſtematis artificialis haud tolerare, et inuito me eogebar, ſpeciem quamdam a reliquis coſpeciebus, quibus natura eam aſſociauerat, remouere, iubente forſan charactere ſingulo, quem, ſecundum rugulas ſyſtematis artificialis, ad hoc genus diſtinguendum et deſignandum adoptaueram. Hac inconuenientia motus, ſyſtemati illi artificiali naturale iuxtapponam, quo quisque nexum naturalem inter genera et ſpecies Coleopterorum Micropterorum perſpiciat.

Quanto diligentius autem leges ſtudeo, quibus natura in formandis corporibus organicis agit, tanto euidentius mihi patet, naturam forſan nullum genus, in ſenſu hodierno, agnoſcere. Multa genera, quae, quamdiu paucae tantummodo ſpecies eorum exiſterent, ipſo toto charactere externo ſeu habitu naturali

rali vulgo ſic dicto longe inuicem remota erant, ſerius, ſimulac plures ſpecies proferebantur, magis magisque appropinquabantur, donec tandem confinia eorum vix dum deſignari poterant, nec niſi vnico forſan charactere diſtinctiuo, quo totus character externus minime exprimebatur, genera iſta diſtinguebantur; nunc autem, regulis ſyſtematis naturalis ſublatis, ſyſtema artificiale locum eius occupabat. Haec experientia in Coleopterorum Micropterorum ſyſtemate quoque mihi ſe obtulit: E generibus receptis *Stenus* ſolummodo, *Oxyporus*, *Pieſtus* et *Lomechuſa* finibus adhuc ſatis praeciſis contenti ſunt ita vt primo ſtatim intuitu, e habitu naturali externo, definiri poſſint. Reliqua autem genera omnia, immediate vel mediate, vnum per alterum, inter ſe cohaerent, et quaedam eorum adeo in alia Coleopterorum genera, a ſyſtemate Micropterorum excluſa, tranſeunt. Tabula affinitatum, opusculo huic adnexa, magis reddet perſpicuum quod dixi, quodque in ipſo textu, ſcilicet in generis cuiusque praemiſſis, clarius exponam; vbi characteres etiam explicabo, quibus haec genera artificialiter ſeiungi atque diſtingui poſſunt; genera enim requiſitum ſunt neceſſarium in ſyſtemate corporum naturalium. — Redeo iterum ad

*Stenum*,

*Stenum*, *Oxyporum*, *Pieſtum* et *Lomechuſam*: Vidimus, haec genera, collatione cum reliquis, paucas tantum ſpecies comprehendere; et, ex analogia, credo, me haud errare, ſi coniicio, illa genera, ſpecierum numero creſcente, generibus quoque aliis, a quibus adhuc ſatis diſtant, adpropinquatum iri, donec tandem cum his confluent nec niſi forſan vnico quodam charactere diſtinguenda erint.

Generum diſpoſitioni et definitioni, in hoc opuſculo commutatis et, vti ſpero, emendatis, plurium ſpecierum diagnoſes, deſcriptiones, comparationes et ſynonyma emendatas et auctas, nec non ſpecies multas nouas, quarum numerus valde increuit, addidi.

Praecipue hic etiam illarum mentionem facio ſpecierum, ad quas collectionem *Boſcianam* allegaui; ſcimus enim, *Fabricium*, in ſcriptis ſuis entomologicis, hanc collectionem ſaepius citauiſſe, et *Boſcius* ipſe profeſſus eſt, *Fabricium* ipſum ſpecies plurimas illius collectionis vel denominauiſſe vel iam denominatas probauiſſe. Vbi ergo coleopteron quoddam, etiam a *Fabricio* iam deſcriptum, e collectione *Boſciana* citatum eſt, Entomologis perſuaſum eſſe poteſt, me inſectum illud ipſum deſcripſiſſe, quod etiam *Fabricius* ante oculos habuit.

Iter,

Iter, per Galliae et Germaniae partem inſtitutum, praecipue autem commoratio Pariſiis diuturnior, opportunitatem mihi praebuerunt, multa noua, ad hiſtoriam naturalem ſpectantia, inueſtigandi; et beneuolentiae Entomologorum plurium Pariſienſium erga me, Entomologorum iam diu celebratorum, e quibus *Bosc*, *Olivier*, *Brongniart*, *Latreille*, *Desmareſt* hic nominare mihi liceat, cum aditum liberum ad collectiones priuatas Inſectorum egregias quam humaniſſime ſponte mihi offerrent, Entomologiae ſectatores deſcriptiones multarum nouarum Micropterorum ſpecierum debent. — Redux in patriam multis nouis animalium ſpeciebus auctas inueniebam collectiones Zoologicas Comitis *de Hoffmannsegg* et Dom. Profeſſoris *Hellwig*, nunc in vnam coniunctas collectionem eamque vnicam ſui generis, quae forſan omnes aemulas, tam numero ſpecierum inſectorum quam ordine ſyſtematico et exactitudine in tribuendis nominibus generalibus ſpecialibusque, antecellit. Scimus omnes, Comitem illuſtriſſimum, itineribus, per maximam Europae partem, cognitionis naturae cauſa, inſtitutis celebrem, ſtudio indefatigabili et temporis atque opum impenſis optime de cultura totius hiſtoriae naturalis meruiſſe; hic etiam libellus entomologicus

gicus debet ei quasdam ſpecies nouas et elegantes, imprimis e numero micropterorum exoticorum.

Praecipue autem in collectione Dom. Profeſſoris *Knoch*, fautoris mei aeſtumatiſſimi, qui prae aliis ſyſtema huius coleopterorum familiae, ſtudiis et ſcrutationibus ſummis elaborauit, materiem plurimam huius Micropterorum Monographiae inueni; et magna multitudo ſpecierum nouarum, quae, poſt editionem tentaminis mei primi ſyſtematis Micropterorum, in ſolo ducatu Brunsuicenſi, temporis adeo breuis lapſu, repertae ſunt, probat ſane, quantopere cultura hiſtoriae naturalis horum animalculorum alibi adhuc neglecta ſit; haud enim me hercule veriſimile eſt, ſolum brunsuicenſe prae caeteris prouinciis multitudine adeo ſtupenda micropterorum frequentatum eſſe. Quare omnes ſcrutatores entomologiae et inſectolegas haud ſatis vrgere poſſum, ne his quoque inſectis attentionem ſuam recuſent; respondeo, eos pro labore et ſtudiis impenſis premium exoptatum laturos eſſe. Haud quidem negari poteſt, quod etiam e hoc opusculo ſatis perſpicue patet, nullum forſan coleopterorum genus tantis obnoxium eſſe difficultatibus, nullumque ſcrutationem deſiderare profundiorem quam haec coleopte-

rorum

rorum familia; huiusmodi vero difficultates ipſae potius calcar eſſe debent, quo Entomologus verus, cui perfectio ſcientiae cordi eſt, incitetur, quam frenum, quo retineatur ab inueſtigatione intima horum inſectorum, nam "per aspera ad aſtra" tendimus. Non niſi viribus iunctis ſpes nos arridet eo perueniendi quo in his etiam coleopterorum generibus aequilibrium cum reliquis reſtitui poſſit.

Hac occaſione non poſſum non diligentiae et zelo Domini *Dahl*, vnius expertiſſimorum et feliciſſimorum e noſtris inſectolegis, publice meritas agere gratias. Frequentibus et ſaepe laborioſis excurſionibus per prata ſyluas et montes Ducatus Brunsuicenſis non ſolum, tam in reliquis quam etiam et praecipue in his inſectorum generibus, magnam vim nouarum ſpecierum, quibus imprimis collectiones Knochianae, Hoffmannseggio-Hellwigianae et mea propria inſigniter locupletatae ſunt, prehendit, ſed etiam omnia, quae de vitae modo horum inſectorum obſeruare poterat, exactisſime annotauit; hasque annotationes mecum communicauit. Cum vero haec inſecta, quotquot eorum Dom. *Dahl* poſſidet, curis Dom. Prof. *Knoch* accuratiſſime examinata et nominata ſint, Entomologi, qui eum adirent, hac via ſpecies exactiſſime determinatas ſibi procurare

curare poſſent. E propria experientia ego affirmare poſſum, Dominum *Dahl* in his negotiis maxima affabilitate et fide agere.

Denique etiam Domino *Sturm* Norimbergae, qui mecum Coleoptera Microptera ſua beneuole communicauit, gratias hic habeo publicas. Debemus ei plures nouas ſpecies et varietates.

* *

Scripta autorum, quibus, praeter illa in *Monographia Micropterorum Brunsuicenſium* pag. XXI. recenſita, in hac Monographia vſus ſum, haec ſunt:

1. *Fabr. Eleuth.*

*Ioh. Chriſt. Fabricii* etc. Syſtema Eleutheratorum etc. Tomus II. Kiliae 1801. 8. (*Staphylinus* p. 589. *Stenus* p. 602. *Oxyporus* p. 604. *Paederus* p. 608).

2. *Herbſt Nat. d. K.*

*Naturſyſtem aller bekannten in- und ausländiſchen Inſekten von Carl Guſtav Jablonsky, fortgeſetzt von Ioh. Friedr. Wilh. Herbſt. — Die Käfer* Th. 1-9. Berlin, 1785 — 1801. 8.

3. *Ljungh. St.*

Monographia Stenorum, auctore *Suenone Ingemaro Ljungh, in Archiv für die ſyſtematiſche Naturgeſchichte, herausgegeben von Dr. Friedr. Weber und Dr. D. M. H. Mohr.* B. I. St. 1. Leipzig 1804. 8. (pag. 59).

4. *M.*

Coleoptera Microptera Brunsuicenſia nec non Exoticorum quotquot exſtant in collectionibus Entomologorum Brunsuicenſium, in genera familias et ſpecies

ſpecies diſtribuit Dr. *I. L. C. Gravenhorſt*, Brunſuigae, 1802. 8.

5. *Panzer ad Schaefferum.*

*Syſtematiſche Nomenclatur über Herrn Dr. Jacob Chriſtian Schäffers Abbildungen regensburgiſcher Inſekten, von Dr. Georg Wolffgang Franz Panzer*, Erlangen, 1804. 4.

6. *Schaeffer Inſ. Ratisb.*

D. *Iacobi Chriſtiani Schaefferi* Icones Inſectorum circa Ratisbonam indigenorum etc. Vol. I–III., Regensburg 1766. 4.

* *

Priusquam ad Syſtema ipſum tranſeo hic *Adnotationes quasdam ad Prolegomena Monographiae Micropterorum de anno* 1802. (vide n. 4.) praemitto.

Ad p. XV. partem inferiorem.

Forma et proportio *partium oris* haud obſolute et ſemper inuariabilis ſunt. Quod ad *formam*, obſeruaui, palporum articulum vltimum *Aſtrapaei* (nunc *Staphylini Vlmi*) triangularem magis minusue contrahi et articulo vltimo ouato palporum Staphylinorum familiae primae (nunc quintae) ſimilem fieri. *Proportio* mandibularum et palporum in ſpeciebus quibusdam *Oxytelorum* et *Staphylinorum* variat (e. g. in *O. picei* et *carinati*, *St. caſtanopteri* et *erythropteri* indiuiduis).

Ad p. XIX. part. ſup.

Quamquam *ſeries punctorum* thoracis *Staphylinis* familiae tertiae (nunc primae), ratione

tione numeri punctorum conſtantiſſimae eſſe ſolent, ſpecies attamen quaedam ſunt incertae aut ſpuriae vel intermediae, quibus puncta iſta mutabiliora ſunt, vti obſeruationes continuatae crebriores et recentiores me docuerunt (e. g. varietates ſpuriae *St. variancis atrati* etc.). In familia quarta autem (nunc ſecunda) numerus punctorum, numerum ſenarium excedens, inconſtantior eſt (e. g. in *St. ochraceo*, *elongato*).

Ad p. XIX. part. inf.

Diagnoſis allegata *Oxyteli caelati* eo commutanda eſt: "*O. caelatus* foueis duabus dorſalibus" (nam foueae laterales prorſum fere euaneſcunt et omnibus Oxytelis eaedem ſunt) "arcuatis, thorace transuerſo." Plurimi enim reliqui Oxyteli numero vel forma fouearum thoracis diſtinguuntur.

Ad p. XXV. part. ſup.

Corpus breuiſſimum et globuliforme eſt *Tachyporo granulum*, ſpeciei nouae.

Ad p. XXX. part. med.

*Staphylinus ſtenoïdes*, noua ſpecies, habitu valde ſingulari, ad tertiam attamen (nunc primam) familiam Staphylinorum referenda, caput habet vbique punctis craſſioribus impreſſum, Stenorum capiti ſimile, cum omnibus reliquis huius familiae Staphylinis caput

medio

medio laeuiſſimum, lateribus tantummodo punctum ſit.

Ad p. XXXI. part. inf.

*Oculi Staphylini ſtenoidis* oculis micropterorum, de quibus nomen ducit, ſimiles proſilientes magni ſunt, reliquis Staphylinis autem planiores.

Ad p. XXXIII. part. med.

*Articuli medii antennarum* vel ſunt campunulati, vel pateraeformes, vel latere interiore ſubincuruo-elongati; ex his *antennae ſerratae* conſtructae ſolo *Staph. dilatato* inter omnes Micropterorum ſpecies propriae ſunt.

Ad p. XXXV. part. inf.

*Staphylinus dilatatus* antennis ſerratis ab omnibus Micropteris diſtinctus, articulo vltimo antennarum haud parabolice obtuſo, ſed ouato, a reliquis huius familiae Staphylinis maioribus differt.

Ad p. XXXVIII. part. inf.

*Calliceri mandibulae* eadem ſunt forma vt in reliquis Aleocharis.

Ad p. XL.

*Palpi anteriores Stenis ſolis triarticulati* eſſe videntur; omnibus reliquis Micropteris *quadriarticulati*. *Articulus vltimus* quibusdam *ſubuliformis* interdum ab articulo penultimo valido recipitur, plurimis attamen Micropte-

cropteris ſemper exſertus eſt. Nunquam ego hunc articulum in *Paederis* deprehenderam, quo inductus vt crederem, Paederos hoc articulo carere, characterem praecipuum diſtinctiuum generis de abſentia eius deſumebam. Tandem autem in collectione *Latreilleana* Pariſiis, inter multa alia huius generis ſpecimina, vnicum videbam *Paederi orbiculati* indiuiduum articulo quarto palporum anteriorum ſubuliformi exſerto; et nunc me conuictum confiteor, *Paederos* quoque *palpis anterioribus quadriarticulatis, articulo vltimo ſubuliformi*, inſtructos eſſe. Perſingulare autem et notatu dignum eſt, Microptera huius generis articulum vltimum palporum anteriorum ſemper fere in penultimum abſcondere, quod nunquam in reliquis Micropteris, quorum palpi acuminati ſunt, obſeruatur.

*Proportio palporum*, ratione longitudinis et craſſitiei, haud ſemper eadem eſt. Longiſſimi ſunt et graciles *Stenis* et *Staphylino ſtenoidi*, nec non *Aleocharis* quibusdam (e. g. *Al. excuſae*, ſpeciei nouae). *Staphylinis familiae primae* (nunc *quintae*) nec non *Staph. Vlmi* et *tenui* e familia tertia (nunc prima) craſſiores quam reliquis Staphylinis. *Euaestheto*, generi nouo, longi et clauati.

Ad

Ad p. XLIV. part. ſup.

Loco *canaliculae marginalis Staphylino dilatato* puncta minuta impreſſa ſunt.

Ad p. XLV. part. inf.

*Thorax conicus* i. e. baſi latus, apicem verſus valde anguſtatus, inter omnia Microptera ſoli *St. ſulgenti* proprius eſt.

Ad p. XLVI. part. med.

De *ſeriebus punctorum thoracis* ſupra in adnotatione ad p. XIX. quaedam iam monui.

Ad p. XLVII. part. med.

*Staphylino ſtenoidi* thorax eſt in angulis apicis multipunctus, praeterea punctis quibusdam ſparſis maioribus impreſſus, ſeriebus autem dorſalibus ſexpunctis.

Ad p. LVII. part. med.

*Oxytelis* minoribus tibiae ſunt multo graciliores et minus ſpinoſae quam maioribus, tibiis attamen Aleochararum ſemper validiores.

Ad p. LIX. part. inf.

*Vnguis*, ſeu quintus tarſorum articulus, cum apice articuli quarti cohaerere ſolet; *Pinophilo* (nunc *Lathrobio latipede*) autem baſi articuli quarti inſertus eſt.

---

GENVS

---

## Genvs I.

## TACHYPORVS.

Sub hoc genus nunc comprehenduntur illa Col. Microptera, quae olim in fam. II. Tachypororum et fam. I. Tachinorum ſegregaueram. Licet enim palpis differant, itaque, ſecundum regulas ſyſtematis ſtrenue artificialis ſecernenda eſſe videantur, habitu attamen toto communi nimis inter ſe congruunt et a reliquis cogeneribus differunt, quam quod combinationem eorum ſuſcipere non auderem — *Corpus* conuexum nitidum laeue; *caput* retractum; *thorax* convexus transuerſus; *coleoptra* conuexa, abdominis magnam partem tegentia; omnes hae partes trunci, arctius cohaerentes, praebent, vel omnes vel partim coniunctae, characteres, quibus natura hoc genus a reliquis diſtinxit.

### Familia I.

*Corpus* globoſum.

*Caput* retractum, longitudine triplo fere latius. Ore producto; palpis anticis acuminatis, articulo vltimo minutiſſimo. Antennis capite thoraceque longioribus; arti-

culo 1 craſſiſſimo, 2 paulo minore, ambobus autem multo craſſioribus quam reliqui, 3-7 gracilibus, vix ſenſim creſcentibus, 8-11 craſſioribus, vltimo ouato acuto.

*Thorax* conuexus, longitudine quadruplo fere latior, apicem verſus paulo anguſtatus.

*Coleoptra* conuexa, lateribus rotundata, thorace latiora et duplo longiora; elytris quadratis.

*Abdomen* breue, acutum, ſub coleoptera omnino fere retractum.

Haec familia vnam modo ſpeciem continet, quae quidem tranſitum ad *Scaphidia* oſtendit, ſed nullo modo cum eis confundi poteſt. Corpus globoſiusculum conuexum, partibus trunci arctius cohaerentibus, et coleoptra abdominis maximam partem tegentia Tachyporis huius familiae cum Scaphidiis quidem communia ſunt; his vero elytra ſunt apicem verſus ſenſim anguſtata, apice ipſo obtuſo nec truncato. Elytra autem truncata ſunt omnium Micropterorum character communis. Praeterea autem ſcaphidiis ſunt palpi filiformes, Tachyporis huius familiae autem acuminati.

A Tachyporis familiae ſequentis haec familia corpore magis ſphaeroideo et, quod inde ſequitur, capite thorace coleoptrisque multo latioribus differt.

1. *T. granulum*, nitidus, niger; coleoptris interdum fuſcis ſeu fuſco-caſtaneis;

*Long.* $\frac{1}{3}$ — $\frac{2}{3}$ lin.

*Caput* antennis fuſcis.

*Thorax* marginibus lateralibus interdum ſubpallescentibus.

Habitat, tempore verno et aeſtiuo, ſub foliis deciduis et ſub muſcis ad radices arborum, haud frequens.

## Familia II.

Complectitur omnia illa Microptera, quae olim familiam II. Tachypororum conſtituebant. Corpus eis eſt nitidum conuexum, quamuis non globoſum, vt in fam. I, et partes corporis anguſtiores ſunt; thorax transverſus. A familiae tertiae ſpeciebus haec familia, ſtatura minore, nitore ſplendidiore, coloribus plerumque viuidioribus, thorace convexiore, elytris glaberrimis, palpis ſemper acuminatis, qui illis filiformes ſunt, praecipue differt. Habitant etiam rarius et, vt videtur, cum oua pariunt, in fimo.

Sunt quaedam *Aleocharae* e familia IV, e.g. *Al. palpalis* et *minuta*, quae facilius pro Tachyporis huius familiae, *Tachyporo pedicula-rio* affinibus, haberi poſſunt; ſed thorax harum Aleochararum apicem verſus gibbuloſior

eſt, baſi autem minus arcte cum coleoptris cohaeret, angulis baſeos ſcilicet magis rotundatis; abdomen Aleochararum haud ſetis adeo rigidis vt in Tachyporis veſtitum eſt; palpi autem et labrum in Aleocharis allegatis longiores ſunt. —

*Tibiae ſpinoſae* in maioribus quidem Tachyporis diſtinctae ſunt; in minoribus autem ſpinae ſenſim ſenſimque ſe ſubducunt, et tibiae interdum ſetis ſingulis tenuibus veſtitae ſunt, quod etiam in Aleocharis maioribus obſeruamus.

2. *T. pedicularius*, (M. p. 133.), nitidus, obſcuro-fuſcus, ſubgriſeo-ſericans; ore, antennis, pedibusque teſtaceis.

*Long.* $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{3}$ l.

*Caput* nitidiſſimum, nigrum. Antennis, capitis thoracisque longitudine, extrorſum craſſioribus.

*Thorax*, magnitudine coleoptrorum, transverſus, apicem verſus anguſtatus, conuexus, nitidus, nigro-fuſcus, ſub-griſeo-ſericans; margine ſummo baſeos magis minusue diaphano teſtaceo.

*Abdomen* piloſellum; pilis apicem verſus crebrioribus et rigidioribus; nigro-fuſcum, nitidum, ſub-griſeo-ſericans; marginibus ſegmentorum diaphano-ſubteſtaceis.

Habi-

Habitat Brunſuigae, ſub gramine.

3. *T. truncatellus* breuis, craſſus, nitidus, rufo-teſtaceus; oculis abdomineque obſcurioribus.

*Long.* vix. 1 lin.

*Caput* obſcuro-rufum; palpis antennisque pallidioribus; oculis fuſcis.

*Thorax* et *coleoptra* rufa, pilis tenuiſſimis ſubgriſeo-ſericantibus veſtita.

*Abdomen* piloſum, fuſcum, marginibus ſegmentorum pallidioribus.

Ratione nitoris ſubſericantis et ſtaturae *T. pediculario* affinis eſt. Cum *T. nitidulo* haud confundi poteſt, ob ſtaturam craſſiorem atque conuexiorem et nitorem ſubſericantem; quibus characteribus etiam, praeter paruitatem, a varietatibus pallidis *T. analis* differt.

Habitat Brunſuigae, locis arundinoſis.

*T. truncatellus Knoch.*

4. *T. bipunctatus* M. p. 133.

5. *T. binotatus* M. p. 132.

6. *T. bimaulatus* M. p. 132. *T. bipuſtulatus.*

7. *T. cellaris* M. p. 131.

*Staphylinus* 20 Geoffr. Hiſt. *St. maculatus* Fourcr. Ent. Par. n. 20. a *T. cellari* non niſi colore nigro, qui in hoc obſcuro-fuſcus eſſe ſolet, differre videtur.

8. *T. pubescens* M. p. 130.

*Var.*

*Var.* fuſca, ſericans; antennis pedibus elytrisque rufis. — Habitat Brunſuigae — *Dahl.*

*Var.* corpore nigricante; antennis fuſcescentibus, articulis 2 primis et 2 vltimis rufis. — Habitat Norimbergae — *Sturm.*

*Var.* ſtatura paulo latiore, long. 2 lin. coleoptris caſtaneo-rufescentibus. — Habitat Pariſiis — *Bosc.*

9. *T. craſſus* M. p. 190.

10. *T. analis* M. p. 129.

11. *T. ſaginatus* nitidus niger; palpis, antennis, thorace, elytris, pedibusque rufis ſeu obſcuro-caſtaneis.

Long. 2 lin.

*Caput* nigerrimum, nitidiſſimum, palpis et antennis rufis ſeu obſcuro-caſtaneis.

*Thorax* teſtaceo-rufus ſeu obſcuro caſtaneus, nitidiſſimus, leuiſſimus.

*Coleoptra* rufo-caſtanea, baſi et lateribus interdum paulo obſcuriora.

*Scutellum* nigrum.

*Abdomen* nigrum; ſegmentorum marginibus dorſo pallidioribus.

Habitat Brunſuigae — *Knoch.*

Notitiam hic addo Dom. Prof. *Knochii*, cui huius ſpeciei indiuidua duo debeo: "*T. ſaginatus* primo intuitu *T. chryſomelinus* bene

ſagi-

ſaginatus eſſe poſſet, ſed magnitudo eius inſignior, antennae craſſiores, habitatio conſtanter hanc ſpeciem diſtinguunt."

12. *T. chryſomelinus* M. p. 128.

Hunc Tachyporum *Paykull* cum *T. anali* copula iunctum vidit — Payk. Mon. St. p. 79.

Tachyporum teneo, medium tenentem inter *T. analem* et *chryſomelinum.* Statura nec non partium forma ac proportione ambobus ſimilis eſt; colore autem teſtaceo, oculis, elytrorum baſi, abdomine pectoreque nigris. Caput ergo teſtaceum, oculis nigris, a *T. anali;* abdominis pectoris et baſeos elytrorum colorem nigrum a *T. chryſomelino* habet. — Hic forſan e copula illorum ortus eſt.

Tachyporus alter collectionis meae, huic omnino ſimilis, totus autem teſtaceus, oculis ſolummodo nigris, varietas iunior vnius alteriusue eſſe videtur. — Conf. *St. diſpar Payk.* Mon. St. n. LIV. var. ε, rufoflauus, capite nigro.

13. *T. marginatus* M. p. 127.
*St. diſpar Payk.* var. ζ.
*Oxyporus dimidiatus Fb.* El. p. 607.?

14. *T. lateralis* M. p. 127.

15. *T. abdominalis* M. p. 127.

16. *T. ruficollis* M. p. 128.

Variat

Variat coleoptris totis nigris; coleoptris nigris, margine ſummo apicis diaphano - teſtaceo; coleoptris rufo - fuſceſcentibus, margine laterali et apicali, interdum etiam praeterea macula discoidali, nigricantibus, ſtatura reliquis paulo minore. Dom. Prof. *Knoch* hanc varietatem pro ſpecie peculiari declarat, cui attamen haud aſſentire poſſum.

*Dahl* huius ſpecimina plura legit Brunſuigae, ad radices ſalicum, tempore autumnali.

17. *T. transuerſalis*, nitidus niger; thorace, (apice elytrorum) pedibus, antennis et ore teſtaceis.

*Long.* 1¼ l.

*Caput* nigrum. Antennis, capitis thoracisque longitudine, rufo - fuſcis; ore rufo-teſtaceo, palpis anticis obſcurioribus.

*Thorax* rufo - teſtaceus, margine apicis et baſeos nigricante.

*Coleoptra* quadrata; vel nigra, apice obſolete diaphano - teſtacea; vel ſeminigra ſemiteſtacea

*Abdomen* piloſellum, nigrum, marginibus ſegmentorum pallidis.

*Pedes* teſtacei.

Statura gracilis *T. nitiduli.* A. *T. puſillo* colore et ſtatura paulo graciliore, a *T. ruficolli* ſtatura multo graciliore differt.

Habitat

Habitat Brunſuigae, ſub foliis deciduis, locis vmbroſis — *Dahl.*

*T. tranſuerſalis* Knoch.

18. *T. puſillus* nitidus, niger; coleoptris fuſcis; baſi antennarum, thoracis lateribus, pedibusque pallidioribus.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Caput* nigrum. Antennis, longitudine capitis thoracisque, fuſcis; articulis 2 primis rufis. Palpis anticis fuſcis, baſi pallidioribus.

*Thorax* longitudine duplo fere latior, apicem verſus anguſtior; niger; lateribus, imprimis baſin verſus, diaphano-ſubteſtaceis.

*Coleoptra* quadrata, fuſca, margine laterali paulo obſcuriore; vel (in varietate huius ſpeciei minore, quam Dom. *Sturm* mecum communicauit; long: 1 l.) nigricantia, apice ſubdiaphano-teſtacea.

*Abdomen* coleoptris duplo longius, apicem verſus anguſtatum, piloſellum, nigrum.

*Pedes* piceo-teſtacei, capitibus femorum obſcurioribus.

Statura huius Tachypori paulo craſſior eſt quam in T. *nitidulo* et *tranſuerſali*, paulo autem gracilior quam in reliquis coſpeciebus. Praeterea etiam elytrorum punctura ſubtiliſſima minus diſtincta et colore a *T. nitidulo* differt.

Habitat

Habitat Brunſuigae, lectus in muſcis ad quercuum truncos — *Dahl.*

*T. puſillus* — Knoch.

19. *T. capillaricornis* antennis gracilibus, filiformibus, ciliatis; nitidus, nigro-fuſcus, labio et pedibus pallidioribus.

*Statura* craſſiuscula.

*Long.* 1 lin.

*Caput* nitidiſſimum, thorace triplo minus, nigro-fuſcum, labio teſtaceo; antennis, capitis thoracisque longitudine, gracilibus, articulis duobus primis craſſioribus clauatis, reliquis elongato-ouatis aequalibus, ſetis duabus vel tribus lateralibus, in vltimo articulo etiam apicalibus, in articulo primo et ſecundo longioribus, veſtitis.

*Thorax* longitudine latior, nigro-fuſcus, punctis 2 ante marginem lateralem, quorum alterum in angulo apicis alterum in angulo baſeos poſitum eſt, punctisque 2 dorſalibus ante marginem apicalem, impreſſus.

*Coleoptra* quadrata, leuia, punctis attamen 4 vel 5 obſoletiſſimis, in ſeriem longitudinalem diſci diſpoſitis, impreſſa.

*Abdomen* coleoptris duplo longius, nigro-fuſcum, ano pallidiore.

*Pedes* picei.

Habitat

Habitat Brunſuigae, haud frequens — Dom. *Dahl* eum mecum communicauit.

*T. capillaricornis — Knoch.*

20. *T. nitidulus* M. p. 126. nitidus, rufeſcens; oculis, abdomineque fuſcis; pedibus teſtaceis.

*Long.* 1½ lin.

*Coleoptra* ſubtiliſſime puncta, plerumque planiuſcula, interdum vero etiam ſubconvexiuſcula.

Statura paulo minore et graciliore quam *T. puſillus.*

In collectione *Bosciana*, Pariſiis, vidi huius Tachypori varietatem pallide teſtaceam, oculis nigris, longitudine 1 lin. ſub nomine *Oxyporus teſtaceus Fabr.* quem in M. p. 142. ad *T. corticinum* citaui.

*Specimina intermedia*, inter *T. nitidulum* et *puſillum*, ratione magnitudinis, ſtaturae et coloris, medium inter illos tenent.

*Long.* 1 — 1⅓ lin.

*Caput* nigrum; palpis et antennis teſtaceo- vel fuſco-rufeſcentibus.

*Thorax* fuſcus ſeu rufeſcens, marginibus lateralibus autem ſemper pallidioribus.

*Coleoptra* quadrata, rufa, vel rufo-fuſca, margine laterali obſcuriore.

*Abdomen* nigrum, marginibus ſegmentorum pallidioribus.

Varie-

Varietates minores pallidiores ſunt et *T. nitidulo* propiores; maiores autem obſcuriores et *T. puſillo* propiores.

*Oxyporus Hypnorum* Fbr. El. p. 607. n. 22.

*Tachyp. nitidulus* M. p. 126.

Habitat in quisquiliis, tempore verno.

21. *T. limbatus* niger, nitidus; pedibus pallidioribus; thoracis marginibus omnibus, elytrorum margine laterali et apicali flauis.

*Long.* $1\frac{2}{3}$ lin.

*Caput* nigrum; antennarum articulo primo teſtaceo.

*Thorax* marginibus omnibus, apicali autem obſoletiſſime, lateralibus diſtinctiſſime, flauis.

*Coleoptra* limbo laterali et apicali flauo, margine attamen laterali ſummo ipſo nigro.

*Pedes* fuſci; capitibus femorum obſcurioribus.

Habitat Pariſiis — e collectione *Latreilleana*, ubi ſpecimen tantummodo unicum exſtabat.

Habitu, partiumque forma ac proportione, nec non corpore ſubtiliſſime et confertiſſime obſolete puncto *T. ſuturali* (M. p. 144.) affinis; differt autem palpis acuminatis.

## Familia III.

Hi *Tachypori*, olim *Tachini familiae* I. thorace transuerſo, palpis filiformibus etc. a familia

milia praecedente, cuius characteres diſtinctiui conferendi ſunt, ſatis differunt. A *Tachinis*, ſtatura latiore, thorace transuerſo, haud punctis maioribus dorſalibus impreſſo, elytris laevibus, diſtinguuntur.

22. *T. ſuturalis* M. p. 144.

Hic Tachyporus habitat etiam Pariſiis; vidi eum in collectionibus Latreilleana et Bosciana, vbi *Oxyporo ſuturali*, in Panzeri Fauna exhibito, ſimilis eſt.

23. *T. marginalis* M. p. 192.

24. *T. collaris* M. 143.

25. *T. immaturus* M. 142.

Sub nominē *Oxyporus brunneus* Fabr. quem ego ad hunc Tachyporum allegaui, in collectione Bosciana *T. marginatum* vidi.

26. *T. corticinus* M. p. 141.

27. *T. marginellus* M. 143. nitidus, niger; antennarum baſi, thoracis margine laterali, coleoptrorum margine laterali et apicali, pedibusque teſtaceis.

*Long.* 1⅔ lin.

*Caput* nigrum; palpis et antennis fuſcescentibus; his, capitis thoracisque longitudine, baſi rufo-teſtaceis.

*Thorax* niger, margine laterali teſtaceo; margine quoque baſeos ſummo pallidiore.

Cole-

*Coleoptra* latitudine longiora, nigra; margine apicali et ſtriga laterali, ab humero vsque ad marginem apicalem, cum quo confluit, deducta, teſtaceis.

*Abdomen* nigrum.

*Pedes* piceo teſtacei.

Confer ſpecies 2 ſequentes.

28. *T. fimetarius* M. p. 141. nitidus, niger; humero et margine apicali coleoptrorum, pedibusque rufo-teſtaceis.

*Long.* 2 — 2¼ lin.

*Caput* nigrum; antennis et palpis nigrofuſcis.

*Thorax* longitudine multo latior, niger, ſummis marginibus lateralibus plerumque obſolete fuſceſcentibus.

*Coleoptra* latitudine paulo longiora, nigra; macula humerali et margine apicali diſtincte rufo-teſtaceis.

*Abdomen* nigrum.

*Pedes* rufo-fuſci; femoribus poſticis obſcurioribus.

Statura *T. marginelli* (n. 26.), differt autem thoracis lateribus paulo rotundioribus et colore.

Habitat Brunſuigae, ſub gramine in pratis, tempore aeſtiuo — *Dahl.*

*Variat* rarius elytrorum humero et margine apicali obſoletiſſime rufeſcentibus.

*T. ca-*

*T. caſtaneus* M. 140. varietas eſt *T. ſimetarii,* coleoptris fuſceſcentibus, humero attamen et apice ſemper paulo pallidioribus.

*T. ſordidus* M. p. 141. varietas huius Tachypori eſſe videtur.

29. *T. laticollis* M. p. 141. nitidus niger; coleoptris fuſcis; pedibus et antennarum baſi pallidioribus.

*Long.* 1¾ l.

*Caput* nigrum; palpis fuſcis. Antennis, capitis thoracisque longitudine, fuſcescentibus; articulis 2 primis pallidioribus.

*Thorax* longitudine duplo latior, niger; marginibus lateralibus obſolete pallidioribus.

*Coleoptra* quadrata, nigro-fuſca, humeris et apice pallidiora.

*Abdomen* nigrum, ſegmentorum marginibus fuſcis.

*Pedes* rufo-fuſci.

Hic Tachyporus latitudine a coſpeciebus minoribus huius familiae differt.

*Species intermedia* inter *T. laticollem* et *ſimetarium* eſt T. niger nitidus; pedibus et coleoptris nigro-fuſcis; humero apiceque elytrorum ſubpallidioribus; tarſis pallidioribus; thorace lato *T. laticollis;* coleoptris autem latitudine longioribus *T. ſimetarii.*

Huius

Huius ſpeciei intermediae indiuidua quaedam prehendebantur in fruticibus prope Brunſuigam — *Dahl.*

T. niger, nitidus, thoracis et coleoptrorum marginibus lateralibus, nec non coleoptrorum margine apicali, pedibusque teſtaceis.

*Long.* $1\frac{1}{2}$ lin.

*Caput* nigrum. Antennis obſcuro-fuſcis, articulo primo interdum paulo pallidiore.

*Thorax* niger, marginibus lateralibus teſtaceis, qui color autem diſtinctior eſt quam in *T. ſimetario*, minus autem diſtinctus quam in *T. marginello.*

*Coleoptra* nigra ſeu nigro-fuſca; ſtriga laterali, ab apice humerorum verſus marginem teſtaceum apicalem, quem tamen haud attingit, deducta.

*Abdomen* nigrum.

*Pedes* rufo-teſtacei, femoribus poſticis paulo obſcurioribus.

E deſcriptione huius Tachypori adparet, eum medium tenere inter *T. ſimetarium* et *marginellum;* at vtroque eſt minor.

30. *T. pullus* M. p. 140.

Hunc Tachyporum *Sturm* mecum communicauit ſub nomine *Oxyporus rufipes Fabr.* et *Panzeri*, cum quo etiam congruére videtur.

*Ox.*

*Ox. rufipes Fabr.* Ent. S. O. n. 21.
— —— *Panzer* Fn. G. H. 27. t. 20.

31. *T. memnonius* M. p. 192.

32. *T. ſignatus* M. p. 139.

*Caput* nigrum, palpis et antennis fuſcis; articulo harum primo rufo-teſtaceo.

*Coleoptra* nigra ſeu nigro-fuſca, marginibus ſummis laterum et apicis pallidioribus.

*Pedes* fuſci ſeu rufo-teſtacei.

33. *T. bicolor* nitidus niger; macula thoracis laterali rufa; elytris rufis, marginibus nigris.

*Long.* 2½ lin.

Habitu partiumque forma ac proportione *T. rufipedis* (n. 35).

*Caput* nigrum; palpis et antennis fuſceſcentibus, harum articulo primo pallidiore.

*Thorax* niger, macula marginali rufa vel margine laterali baſin verſus latiſſime rufo.

*Coleoptra* rectangula, ochraceo-rufa, margine ſuturali apicali et laterali nigro.

*Abdomen* nigrum, ano pallidiore.

*Pedes* rufo-fuſci vel fuſci, femoribus obſcurioribus.

E collectione *Brongniartiana* et *Latreilleana*.

34. *T. fimbriatus* M. p. 191.

35. *T. rufipes* M. p. 137. niger, nitidus; coleoptris pedibusque fuſceſcentibus ſeu caſtaneis.

 *Long.*

*Long.* 2 — $2\frac{2}{3}$ lin.

*Caput* nigrum; antennis, capitis thoracisque longitudine, palpisque fuſcis ſeu fuſcescentibus; articulo primo antennarum interdum reliquis obſcuriore, interdum pallidiore, apice attamen ſemper fuſco.

*Thorax* niger, ſummis marginibus lateralibus baſin verſus ſubfuſcescentibus; transverſus, nec vero longitudine duplo latior, ſed anguſtior quam in *T. humerali* (n. 36.).

*Coleoptra* latitudine paulo longiora; elytris vel caſtaneis ſeu fuſcescentibus, vel disco obſcuriore.

*Abdomen* nigrum; ſegmentorum marginibus interdum fuſcis.

*Pedes* rufi, ſeu caſtanei, ſeu fuſci.

Varietates, coleoptris obſcuris, forſan e mixtione cum *T. ſignato* (n. 32.) ortum ducunt.

*Oxyporus rufipes* Pz. ad *Tach. pullum* (n. 30.) citatus eſt.

*De Geer* Mem. St. n. 11. haud *T. rufipedem* ſed *T. humeralem* deſcripſiſſe videtur.

*T. rufipes?* niger, nitidus; pedibus, elytris, thoracis margine laterali, antennis et ore rufescentibus.

*Longitudo* et *habitus T. rufipedis*; ſtatura autem paulo anguſtiore, abdomine apicem

verſus

verſus anguſtato, inciſione ſegmenti penultimi etc. differt.

*Caput* nigrum; palpis atque antennis rufescentibus; his articulo primo obſcuriore; mandibulis teſtaceis.

*Thorax* niger, margine laterali paululum rufescente.

*Coleoptra* rectangula; elytris rufis, disco obſcuriore.

*Abdomen* apicem verſus anguſtatum; ſegmento penultimo infra profunde inciſo.

Specimen vnicum huius Tachypori, qui varietas *T. rufipedis* eſſe videtur, exſtat in collectione *Hellwigio - Hoffmannseggiana.*

36. *T. humeralis* M. p. 136. nitidus, niger; antennis, elytris, pedibus, et thoracis marginibus rufis.

*Long.* $2\frac{1}{2}$ — 3 lin.

*Caput* nigrum. Antennis, capitis thoracisque longitudine, rufo-fuſcis; articulo primo pallidiore. Palpis rufescentibus ſeu fuſcis.

*Thorax* niger, longitudine duplo latior, lateribus rotundatis, apice paulo anguſtior; marginibus, imprimis lateralibus, rufis ſeu rufo-teſtaceis.

*Scutellum* et *coleoptra* caſtanea.

*Abdomen* nigrum, marginibus ſegmentorum rufo-fuſcis.

*Pedes* caſtanei.

A ſpeciebus confinibus hic Tachyporus, thorace latiore et thoracis marginibus rufis vel rufo-teſtaceis, diſtinguitur.

*Var.* coleoptris obſcurioribus forſan e copula cum *T. ſignato* oritur.

*Species intermediae* interdum occurrunt, quae, ratione proportionis et coloris, medium tenent inter *Tach. humeralem* et *T. rufipedem.*

*Var. T. humeralis* nigra; palpis, antennarum baſi, thoracis marginibus omnibus, elytris pedibus et ſegmentorum marginibus caſtaneo-rufis; long. 3 linearum — in collectione *Bosciana* ſub nomine Oxyporus *marginatus Fbr.* exſtabat. — Confer. *T. marginatus* M. p. 127. et huius Monographiae n. 23. *T. immaturus.*

*De Geer* Mem. St. n. 11.

37. *T. batychrus* M. p. 191.

38. *T. pallipes* nitidus, niger; baſi antennarum, thoracis margine laterali, macula elytrorum humerali, pedibusque teſtaceis ſeu teſtaceo-rufis.

*Long.* 3 lin.

*Caput* nigrum; palpis et antennis fuſcis, his articulo primo teſtaceo.

*Thorax*

*Thorax* margine laterali, ſaepius autem obſolete, pallido.

*Coleoptra* quadrata, ſubtiliſſime puncta; elytrorum macula humerali diſtinctiore vel obſoletiore, interdum baſi tota vel teſtacea vel rufescente.

*Abdomen* ſegmento penultimo vel ſinuato vel integro.

E collectione *Latreilleana*.

39. *T. bipuſtulatus* M. p. 135.

*Caput* huius Tachypori haud thorace plus triplo longius eſt, ſed plus triplo breuius. — Lapſum illum ſcriptorium loco citato emendes quaeſo.

40. *T. ſubterraneus* M. p. 135.

---

## Genvs II.

## TACHINVS.

Hoc genus complectitur familiam primam *Tachypororum* et familiam ſecundam *Tachinorum.* Hae familiae, quas anno 1802 propoſui, ſpecies continent Micropterorum non niſi palpis acuminatis et filiformibus differentes, omnibus autem reliquis characteribus genericis, *ſtatura* graciliore, *capite* ouato vel ſubouato, *thorace* haud transuerſo, ſed ſuborbiculato, apicem verſus anguſtiore, congruentes. Longe plurimis ſpeciebus *elytra* ſunt laeuia, bi- vel tricrenato-ſtriata; ſtriis plerumque diſtinctis, rarius in puncta magis minusue obſoleta euaneſcentibus. — Paucis elytra punctis crebris impreſſa ſunt, vti Staphylinis familiae primae; et cum hae ſpecies palpos etiam habent filiformes, hoc genus cum Staphylinis iungere videntur. Sunt attamen ſemper characteres, quibus hi Tachini a Staphylinis diſtingui poſſunt: *Antennarum articulus ultimus* Tachinis nunquam lunato-ſeu parabolice truncatus eſt, vti Staphylinis familiae primae, ſed apice acutus. *Thorax* quidem thoraci illorum Staphylinorum ſimilis eſt, baſi attamen ſemper latior et truncatus, haud rotundatus, apicem verſus angus-

anguſtior quam in Staphylinis; caret etiam ſeriebus punctorum, nec niſi punctis 2 vel 4 dorſalibus, rarius 2 vel 3 lateralibus impreſſus eſt, quae autem nunquam in ſeries diſpoſita ſunt. — A *Tachyporis* hoc genus *corpore* graciliore; *thorace* haud transuerſo, ſed ſuborbiculato, punctis quibusdam maioribus impreſſo; nec non ſculptura ſeu punctura *elytrorum* bene diſtingui poteſt.

*Familia* I. complectitur Tachinos *palpis acuminatis*;

*Familia* II. Tachinos *palpis filiformibus.*

FAMILIA I.

Continet *Tachyporos fam.* I. M. p. 125.

1. *T. diſſimilis* M. p. 125. haud eſt *Oxyporus rufipes* Pz. (confer. *Tachyporus pullus* n. 30.)

T. nitidus niger; antennarum baſi, pedibus, et coleoptrorum margine apicali pallidis; coleoptris punctis.

*Long.* 2 lin.

*Caput* ouatum, thorace duplo minus, nigrum; palpis antennisque fuſcescentibus; his, capitis thoracisque longitudine, filiformibus, articulo 1 et 2 pallidiore.

*Thorax* orbiculatus, apicem verſus anguſtior; punctis 2 dorſalibus et 2 ante marginem apicis, angulos apicis verſus (vt in plurimis huius

huius generis ſpeciebus) impreſſus; niger ſeu nigro-rufus.

*Coleoptra* quadrata, nigra ſeu fuſco-nigra, margine apicali teſtaceo; ſubtiliter et confertim puncta, piloſella.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, piloſellum, apicem verſus anguſtatum, nigrum, ſegmentis vltimis margine ſubfuſcescente.

*Pedes* teſtacei ſeu piceo-teſtacei.

Habitat etiam Norimbergae — *Sturm.*

2. *T.* 4 *punctulus* niger, nitidus; pedibus pallidioribus; coleoptris punctis.

*Long.* 1¾ lin.

Habitu, ſtatura, partiumque forma proportione et punctura omnino *T. diſſimilis* (n. 1.); capite attamen orbiculato et colore differt.

Habitat Brunſuigae — *Dahl.*

3. *T. ſplendidus* nitidus, fuſcus; coleoptris antennisque pallidioribus; thorace pedibusque teſtaceis.

*Long.* 2 lin.

*Statura* paulo gracilior *T. melanocephalo* (n. 7.)

*Caput* thorace triplo minus, latitudine longius, apicem verſus anguſtatum; nigrum, apice ſub-teſtaceum. Antennis, capitis thoracisque longitudine, fuſcis; articulis 2 primis teſtaceis. Palpis teſtaceis.

*Tho-*

*Thorax* teſtaceus, punctis 2 dorſalibus ante marginem apicalem impreſſus.

*Coleoptra* obſcuro-ſeu rufo-caſtanea, ſeu rufa; circa ſcutellum et margine laterali deflexo plerumque nigricantia, interdum veſtigiis quibusdam linearum duarum longitudinalium impreſſa.

*Abdomen* piloſum, nigrum; marginibus ſegmentorum pallidis.

*Pedes* teſtacei; capitibus femorum obſcuris.

*T. ſplendidus* — *Knoch.*

*Varietatem* minimam huius ſpeciei, a maioribus indiuiduis non niſi ſtatura paulo graciliore, longitudine 1¼ linearum, et antennis paulo breuioribus et craſſioribus ſe diſtinguentem, Dom. Prof. *Knoch.* pro ſpecie peculiari habet eique dedit nomen *T.* 2 *notatus* Hanc vero differentiam ſpecialem eo minus concedere poſſum, cum ambae varietates varietate ſequente Norimbergenſi iungantur.

Habitat Brunſuigae, locis arundinoſis humidis, lectus primo vere — *Dahl.*

*T.* ſimillimi *T. ſplendido*, longitudine tantum 1½ lin: coleoptris teſtaceo-rufis, circa ſcutellum et margine laterali deflexo nigricantibus, ſpecimina duo *Sturm* mecum communicauit.

Haec varietas habitat Norimbergae.

4. *T.*

4. *T. lepidus* nitidus niger (thorace elytriſque interdum obſcuro-caſtaneis); pedibus, ore et antennarum baſi fuſco-rufeſcentibus.

*Long.* 2 lin.

*Statura* T. praecedentis; colore autem punctura et capite magis orbiculato differt.

*Caput* thorace triplo minus, ſuborbiculatum, nigrum; antennis, capitis thoraciſque longitudine, fuſcis, baſi rufeſcentibus; ore fuſco-rufeſcente, palporum anticorum articulo penultimo clauato fuſco.

*Thorax* nigricans, interdum obſcuro-caſtaneus; punctis quibuſdam, ſubtilibus, 3–5, lateralibus, ordine indeterminato poſitis, duobuſque dorſalibus, ante marginem apicalem, impreſſus.

*Elytra* nigra, vel nigro-aut rufo-caſtanea, circa ſcutellum obſcuriora; ſeriebus duabus punctorum longitudinalibus, altera diſci 6–9 puncta, altera marginali obſoletiore, impreſſa.

*Abdomen* coleoptris plus triplo longius, piloſellum, nigrum, marginibus ſegmentorum ſubpalleſcentibus.

*Pedes* vel piceo-teſtacei, femorum capitibus fuſcis; vel rufo fuſci, femoribus nigro-fuſcis.

Habitat Norimbergae — *Sturm;* et Brunſuigae, lectus ſub gramine ad foſſas in pratis — *Dahl.*

*T. le-*

*T. lepidus* — *Knoch.*

5. *T. punctus*, nitidus rufus; capite abdomine, pectore, margineque elytrorum laterali nigris. *Long.* 2 lin.

*Caput* nigrum, palpis rufis. Antennis fuſcis; articulis 2 primis rufis, vltimo orbiculato acuto

*Elytra* ſtriis punctorum tribus, vna ſcilicet marginali, duabus discoideis, obſoletis impreſſa; rufa, disco et margine laterali nigricantibus.

*Abdomen* nigrum, ano pallido.

*Pedes* teſtacei, femoribus et femorum capitibus obſcurioribus.

E collectione *Latreilleana.*

*T.* alter, huic ſimillimus, thorace autem nigro, punctis elytrorum obſoletioribus et parcioribus, ſtatura paulo minore, exſtat etiam in collectione *Latreilleana.*

FAMILIA II.

6. *T. ſtriatus* M. p. 146.

*Thorax* punctis duobus ad marginem apicalem impreſſus.

7. *T. melanocephalus* M. p. 144.

*Thorax* interdum punctis 2 ad marginem apicalem impreſſus.

*Var.* I. 3, elytris, baſi teſtaceis, apice nigris; long. 2 lin.

8. *T.*

8. *T. nanus*, nitidus, nigricans; coleoptris fuſceſcentibus, pedibus antennisque piceo-teſtaceis.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Caput* ouatum, apicem verſus ſubanguſtius; fuſcum. Ore antennisque teſtaceis; his capite longioribus, extrorſum craſſioribus.

*Thorax* nigro-fuſcus, punctis 2 dorſalibus impreſſus.

*Coleoptra* quadrata, obſolete 4 crenato-ſtriata, nigro-fuſca, humeris et angulo exteriore apicis ſubpallidioribus.

*Abdomen* nigrum, marginibus ſegmentorum rufeſcentibus.

Habitat?

9. *T. bicolor* rufus; antennis extrorſum obſcurioribus; pectore, abdomine elytrorumque angulo exteriore apicali nigris.

*Long.* 3 lin.

*Habitu*, partiumque forma et proportione *T. melanocephali* maximi; ſtatura autem maiore et colore obſcuriore.

*Caput* ſuborbiculatum, ore producto, rufum; oculis nigris. Antennis, capitis thoracisque longitudine, fuſcis; articulis 2 primis rufo-teſtaceis.

*Elytra* linea una disci crenata impreſſa, rufa; angulo apicis exteriore toto, ab humeris fere vsque ad ſuturae apicem, nigro.

*Pedes*

*Pedes* rufo-teſtacei.

E collectione *Hellwigio-Hoffmannseggiana.*

Habitat in Boruſſia — *Hellwig.*

10. *T. triſtis*, nitidus, niger; antennis pedibusque rufis.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Caput* paruum, ſuborbiculatum, nigrum, palpis antennisque rufis.

*Thorax* niger, apice ſubobſcuro-rufo micans.

*Elytra* nigra, ſummo apicis et ſuturae margine rufo; biſtriata, ſtriis disci parallelis, interna obſoletiore, externa puncta ſeu crenata.

Habitat in Boruſſia — *Hellwig.*

E collectione *Hellwigio-Hoffmannseggiana.*

11. *T. axillaris*, nitidus niger; femoribus anterioribus et antennarum baſi pallidioribus; elytrorum linea longitudinali teſtacea.

*Long.* 3 lin.

*Statura* et partium forma atque proportione *T. ſtriati;* colore autém, magnitudine, nec non defectu lineae punctorum disci elytrorum differt.

*Caput* nigrum; antennarum articulo primo, articuli vltimi apice, labioque rufescentibus.

*Coleoptra* ſubquadrata, lineis elytrorum deficientibus, relicta ſolummodo impreſſione laeui ad elytrorum baſin.

*Abdo-*

*Abdomen* nigrum, ſegmentorum ſummo apicis margine ſubrufescente.

*Pedes* nigro-fuſci; capitibus femorum femoribusque anticis rufescentibus.

Habitat in America ſeptentr.

*T. axillaris* — *Knoch.*

12. *T. niger* M. p. 193.

13. *T. lunulatus* M. p. 147.

*Thorace* punctis duobus apicis marginalibus impreſſo.

14. *T. atricapillus* M. p. 148.

*Thorace* punctis 2 marginalibus apicis impreſſo.

*Staph. atricapillus Oliv. Ent.* St. n. 40. tab. IV. f. 39.

*Varietatem* vidi huius Tachini exiguam, long. 2 lin. elytris fuſcescentibus, macula humerali obliqua albicante.

15. *T. cinctus* M. p. 193.

16. *T. analis* M. p. 148.

*Thorax* punctis 2 dorſalibus, ante marginem apicalem, vt in *T. ſplendido* (n. 3.) impreſſus.

*Elytra* ſtriis tribus punctorum, interdum obſoletis, impreſſa.

*Abdominis* ſegmentorum margines nunquam fuſcescunt; ſed ſegmentum penultimum totum

tum et antepenultimi pars dimidia marginalis rufescunt.

Haec ſpecies variat magnitudine et antennarum articulorum vltimorum colore et figura.

*Var.* 1 maxima; long. $4\frac{2}{3}$ lin. Antennis fuſcis; tribus vltimis articulis paulo pallidioribus; vltimo reliquis paulo longiore, obtuſo ouato; duobus primis teſtaceis.

*Var.* 2 minima; long. vix 3 lin. Antennis fuscis; articulis quatuor primis et vltimo, reliquis triplo longiore, teſtaceis.

*Var.* 3 media; long. $3\frac{1}{2}$ lin. Antennis fuſcis; articulis 3 primis et 2 vltimis teſtaceis, vltimo reliquis duplo longiore.

Habitat Brunſuigae — Omnes hae varietates lectae ſunt, tempore aeſtiuo, in ſyluis, ſub foliis deciduis — *Dahl.*

17. *T. merdarius* M. p. 149.

*Varietatem* huius ſpeciei, pectore nigerrimo vidi in collectione *Boſciana.*

18. *T. cernuus*, nitidus niger; pedibus, ore, elytris, ſegmentorumque marginibus rufescentibus.

*Long.* $2\frac{1}{2}$ — 3 lin.

*Statura* nec non partium figura et proportione omnino *T. analis* (n. 16.) varietati minori affinis; haud vero ſegmentis penultimis rufis, ſed omnium ſegmentorum marginibus fuſcescentibus differt.

*Caput*

*Caput* nigrum, ore rufo. Antennis, capitis thoracisque longitudine, fuſcis, articulis 3 primis rufis; forma et proportione articulorum vt in *Tachini analis* varietate prima.

*Thorax* niger ſeu nigro-caſtaneus; punctis 4 dorſalibus, quorum 2 margini apicali propiora, 2 autem medium verſus poſita ſunt, impreſſus.

*Elytra* caſtanea, circa ſcutellum obſcuriora, ſeriebus tribus punctorum, interdum obſoletiſſimis, impreſſa.

*Abdomen* coleoptris plus triplo longius, piloſellum, nigrum; ſegmentorum marginibus rufo-fuſceſcentibus.

*T. cernuus* — *Knoch.*

Habitat Brunſuigae — Lectus, tempore aeſtivo, ſub muſcis, in ſyluis — *Dahl.*

19. *T. formoſus*, rufus; capite atque abdomine, excepto ano, nigris; elytris punctis.

*Long.* 2½ — 3 lin.

*Statura* nec non partium forma ac proportione omnino Tachinorum praecedentium; ſatis autem differt et colore et imprimis elytrorum punctura.

*Caput* nigrum; ore rufo. Antennis filiformibus, capite thoraceque longioribus, fuſcis, articulis 2 primis pallidioribus.

*Thorax*

*Thorax* rufo-fuſcus; punctis 4 dorſalibus, 2 ſcilicet apicalibus, ad marginem, 2 autem medium verſus, praeterea interdum vno alteroue ad marginem lateralem, impreſſus.

*Scutellum* rufo-fuſcum.

*Coleoptra* rufo-fuſca; punctis crebris, licet haud confertiſſimis, nec in ſeries diſpoſitis, impreſſa; pilis tenuiſſimis, haud confertis, oculo bene armato diſtinguendis veſtita.

*Abdomen*, vt in *T. anali* (n. 16.) piloſum, nigrum, ſegmentis 2 vltimis totis, antepenvltimo dimidio rufis.

*Pedes* rufi.

*T. formoſus* — *Knoch.*

Lectus cum T. praecedente — *Dahl.*

20\. *T. inclinans*, niger, nitidus; antennis, palpis, thorace, elytris punctis, pedibus, ſegmentorumque marginibus rufescentibus.

*Long.* $3\frac{1}{3}$ — 4 lin.

*Statura*, nec non partium forma ac proportione, elytrorumque punctura T. praecedentis; differt autem magnitudine, et ano haud rufo, ſed ſegmentorum marginibus rufescentibus.

*Caput* nigrum, orbiculatum; antennis filiformibus, capitis thoracisque longitudine, palpisque rufo-fuſcis; mandibulis vel nigris vel rufis.

*Thorax* coleoptris breuior; punctis 4 dorſalibus, 2 ſcilicet ante marginem apicalem, 2 medium verſus poſitis, et praeterea ſaepius tribus obſoletioribus lateralibus marginalibus, impreſſus, rufus.

*Coleoptra* rufo-caſtanea, crebrius puncta quam in T. praecedente, et pilis diſtinctioribus atque crebrioribus rufo-griſescentibus veſtita.

*Abdomen* piloſum, nigrum, ſegmentorum marginibus rufo-fuſcescentibus.

*Pedes* rufi. Quibusdam huius ſpeciei individuis tarſi antici breues et dilatati ſunt, et articulus primus tarſorum mediorum dilatatus; quibusdam tarſi antici multo minus dilatati et tarſi poſteriores omnes ſimplices.

*T. inclinans* — *Knoch.*

Habitat Brunſuigae — Lectus, menſe Maii, in ſyluis, ſub foliis deciduis — *Dahl.*

Haec ſpecies et *T. formoſus* (n. 19.) confinia deſignant inter Staphylinos et Tachinos — Confer quae de hac confinitate p. 22. monui.

## Genvs III.

## STAPHYLINVS.

Hoc genus, quod natura a reliquis cogeneribus ſatis diſtinxit, habitu communi ſpecierum nunquam ſane cum vllo alio genere Micropterorum confundetur. Habitus quidem totus communis omnibus ſpeciebus idem eſt, vix autem character diſtinctiuus eruetur ſufficiens ad hoc genus ab omnibus reliquis diſtinguendum. Characteres, qui in Micropterorum ſyſtemate, anno 1802 publicato, Staphylinos deſignant, hic non adhibere poſſum, nam *St. Ulmi*, qui illic nouum genus condit, hoc ſyſtemate naturali ad Staphylinos redactus eſt. Nihilominus ſaltem duos characteres diſtinctiuos inueſtigaui, qui, vel iunctim vel ſingulatim, ſoli Staphylinorum generi proprii ſunt: *articulum* nempe *vltimum antennarum parabolice lunatum*, et *ſeries punctorum thoracis*, quibus, in familia ſecunda, *thorax elongatus* accedit *nunquam punctis confertiſſimis inordinatis impreſſus.* Sunt vero Staphylini, quibus characteres, a ſtriis punctorum thoracis et a forma vltimi antennarum articuli deſumtos iunctos vidimus, e. g. Staphylini longe plurimi familiae primae; ſunt alii, vno alteroue tantummodo praediti; e. g. articulo vltimo antenna-

tennarum lunato, nec ſeriebus punctorum thoracis, omnes Staphylini familiarum III, IV et V; ſeriebus autem punctorum thoracis, nec articulo vltimo antennarum lunato Staphylini familiae II. Praeterea in nullo alio Micropterorum genere *antennae* ſunt *ſerratae*, quibus *St. dilatatus* a reliquis coſpeciebus ſe distinguit; nec *palpi quatuor ſecuridacei* (Oxyporis ſcilicet palpi ſolummodo poſteriores ſecuridacei ſunt) vti plurimis ſpeciminibus *St. Ulmi.*

Sunt quidam Staphylini e familia ſecunda (*St. fulminans*, *alternans*, *palmula*) quibus nec articulus vltimus antennarum lunatus, nec thorax ſeriebus punctorum (quamquam punctis paucis) impreſſus eſt. Nunquam autem haeſitabimus, an hos Staphylinos caeteris, quos fam. II. complectitur, aſſociemus, an non; habitu enim naturali, nec non forma atque proportione partium plurium eſſentialium, omnino cum illis congruunt: thorax elongatus laeuis iam ſufficit, quo ſpecies allegatae a *Lathrobiis* dignoſcantur, cum quibus, ob ſtaturam proceriorem filiformen, forſan confunderentur, ſi quaedam confuſio locum habere poſſit. *St. pyropterus* caret ſeriebus dorſalibus punctorum thoracis (quarum veſtigia, punctis duobus, ad apicem thoracis ſitis, remanent) et puncta ſerierum lateralium in arcum confluunt; caeterum autem de hac

ſpecie

ſpecie idem valet, quod modo de aliis quibusdam huius familiae Staphylinis dixi.

De ſimilitudine inter Staphylinos et quaedam alia Micropterorum genera haec monenda ſunt: Nemo ſane Staphylinum cum alio quouis Microptero confundet; attamen genera indicare me oportet, quibus hoc genus adfine eſſe videtur. — *Lathrobia* a Staphylinis fam. II. corpore depreſſiore, thorace confuſe puncto, pedibus validioribus breuioribus, palpis acuminatis (qui ſolummodo in *L. latipede* filiformes ſunt) differunt. — Ad *Aleocharas* quasdam fam. III. (e. g. ad *Al. collarem*) quidam Staphylini (e. g. *St. elegans* et *thoracicus*) non niſi colore propius accedunt. — *Tachini* forma et proportione thoracis cum Staphylinis fam. I. quibusdam ſimilitudinem aliquam habent, qua, intuitu primo leui, eo facilius decipi poſſumus, cum color niger et ſtatura maior, in hoc genere rariores, accedant, e. g. in *T. nigro*. Iam difficilius eſt *T. inclinantem*, *formoſum* et *cernuum*, characteribus eſſentialibus, nec ratione habita coloris, a Staphylinis huius familiae distinguere. Coleoptra eorum nempe puncta et piloſella ſunt, vt Staphylinis, nec ſtriis crenatis, vti plurimis Tachinis impreſſa, ſed forma thoracis, deficientibus punctorum ſeriebus, articulo vltimo antennarum haud parabolice lunato ſatis differunt.

(Confer

(Confer genus Tachinorum). Sunt autem quidam Staphylini (*St. impreſſus*, et *capucinus*), quibus coleoptra haud puncta ſunt, ſed crenato-ſtriata vel punctis paucis impreſſa, vti Tachinis, cum quibus autem, ob formam vltimi antennarum articuli, thoracis, nec non ſerierum punctorum thoracis nunquam confundi poſſunt. —

Quo facilius ordo in hoc genere perſpici queat, ſpecies Staphylinorum in quinque familias distribui.

FAMILIA I.

Comprehendit illas huius generis ſpecies, quae aliquam cum genere praecedente adfinitatem produnt; omnes ergo Staphylinos familiae quondam tertiae. M. p. 15. — Characteribus autem illic datis haec addo:

*Antennae St. dilatati* ſerratae ſunt, articulo vltimo ouato; haud parabolice obtuſo, vti longe plurimis huius familiae ſpeciebus, imprimis autem omnibus maioribus eſſe ſolet.

*Palpi St. Ulmi* plerumque ſecuridacei ſunt.

*Coleoptra* longe plurimis huius familiae Staphylinis aenescentia ſeu viridana ſunt, quorum in reliquis huius generis Staphylinis nullum exemplum exſtat.

*Thorax* ſeriebus punctorum discoidalibus impreſſus eſſe ſolet; perpaucis ſpeciebus discus thoracis his ſeriebus caret.

1. *St.*

1. *St. impreſſus* M. p. 35.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo vel duplo minus, nigrum, nitidum, leve; in angulis baſeos punctum, punctis quatuor diſtinctioribus. Antennis et palpis fuſcis.

*Thorax* orbiculatus, lateribus fere aeque decliuus ac in *St. nitido* (n. 5.); punctura etiam *St. nitidi*, ſeriebus nempe dorſalibus tripunctis, lateralibus obſoletis (rariſſime diſtincte 4 punctis, quod non niſi in vnico indiuiduo, a Dom. *Sturm* mecum communicato, vidi); coleoptris paulo breuior; niger.

*Coleoptra* latitudine vix paulo longiora; depilia, marginibus tantum ſubciliatis; nigro-fuſca, margine ſuturaque rufis. Elytris ſeriebus 4 longitudinalibus punctorum circiter 7 — 9 impreſſis; ſerie prima ad ſuturam ſita; ſecunda et tertia diſci; quarta, ante marginem, vbi elytra deflectuntur, punctis autem obſoletioribus; inter has ſeries interdum puncta quaedam vaga diſſeminata ſunt; pars deflexa elytrorum ipſa ſubtiliter et confertim puncta eſt.

*Abdomen* coleoptris plus duplo longius, piloſellum, nigrum, aeneo-ſericans, marginibus ſegmentorum rufescentibus.

*Pedes* fusci, tarſis anticis dilalatis.

Habitat Norimbergae — *Sturm;* Brunſuigae — *Dahl.*

*Varie-*

*Varietas* huius Staphylini eſt *var. 6. St. nitidi* M. p. 52.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, leue, punctis quibusdam diſtinctioribus in angulis baſeos impreſſum; antennis fuſcescentibus, baſi rufescente.

*Thorax* vnius indiuiduorum duorum meae collectionis niger, puncto marginali diſtincto; puncto vnico laterali, ante marginem apicalem ſito; ſeriebus dorſalibus tripunctis. Alterius indiuidui thorax fuſco-niger eſt; puncto marginali diſtincto; punctis 2 lateralibus minutis, ſerierum dorſalium puncto primo minore; ſecundo et tertio confluentibus ita vt impreſſionem irregularem forment.

*Coleoptra* quadrata, depilia; margine tantummodo inferiore ſubciliato. Elytra leuia, ſerie punctorum 5 vel 6 diſci longitudinali, quae autem vix oculo armato ſe offert, punctis nempe obſoletiſſimis, impreſſa; caſtanea, disco obſcuriore.

*Abdomen* vt in *St. impreſſo*, nigrum autem, marginibus ſegmentorum rufescentibus.

*Pedes* rufi.

2. *St. Capucinus*, nitidus, niger; pedibus rufescentibus; elytrorum diſco vage puncto; thorace ſeriebus dorſalibus tripunctis.

*Long.* 3 lin.

A St. praecedente, colore et magnitudine, a reliquis autem Staphylinis elytrorum punctura differt.

*Caput* orbiculatum, thorace minus, leue; punctis 4 interocularibus, 2 occipitalibus impreſſum; nigrum, palpis et antennis fuſcescentibus, his capite paulo longioribus.

*Thorax*, vt in *St. nitido* (n. 5.) 3, 2, 1 punctus.

*Coleoptra* quadrata, thorace paulo maiora, nuda vel vix piloſella; margine laterali multipuncta; diſco punctis paucioribus impreſſa.

*Abdomen* piloſum, nigrum, ſubaeneo-varians, ſummis ſegmentorum marginibus fuscescentibus; ſegmento penultimo ſubtus inciſo.

*Pedes* fusci, tarſis anticis ſubdilatatis.

Habitat in America ſeptentr.

*St. capucinus* — *Knoch.*

3. *St. xantholoma* niger, nitidus; elytris opacis, margine laterali teſtaceo; thorace ſubquadrato, ſeriebus dorſalibus tripunctis.

*Long.* 3 lin.

*Caput* orbiculatum, thoracis magnitudine, punctis perpaucis maioribus impreſſum, nigrum; oculis paruis; palpis antennisque fuscescentibus, his capitis et thoracis longitudine, articulo vltimo obtuſiusculo.

*Thorax* ſubquadratus, coleoptris duplo fere minor; puncto marginali et punctis ſerierum

dorſa-

dorſalium tribus diſtinctis; ſerie laterali deficiente.

*Coleoptra* latitudine paulo longiora, opaca, ſubtiliſſime puncta, vix depilia, margine apicali fimbriata; nigra, margine laterali teſtaceo.

*Abdomen* nigrum; lineis duabus dorſalibus longitudinalibus ſubobſoletis, nec non ventre griſeo-ſericantibus.

*Pedes* fuſcescentes.

Habitat Roſtochii — *Karſten*, qui eum ſub nomine *St. lateralis* cum Hellwigio communicauit.

*St. xantholoma* — *Hellwig.*

4. *St. lateralis* M. p. 35.

*Varietas* coleoptrorum margine laterali obſolete rufo habitat Pariſiis — *Latreille.*

*Varietas* altera; *Long.* 4½ lin. *Caput* nigrum; palpis et antennarum fuscarum articulo primo rufis — *Thorax* ſeriebus dorſalibus 3 punctis, puncto marginali vno. — *Abdomen* nigrum, ano palleſcente. — *Pedes* obſcuro-fuſci, tarſis pallidioribus. — Habitat Pariſiis — *Boſc.*

5. *St. nitidus* M. p. 31.

Microptera, quae, loco citato, ſub hac ſpecie, qua varietates recenſui, colore et magnitudine ſatis differunt, vt diſcrimen accuratius ſane requirant. Forſan remotiſſimae varie-

varietates ſunt ſpecies peculiares, quae, copula inter ſe iunctae, varietates intermedias genuerunt. Varietates ideo praecipuas hic accuratius recenſere et deſcribere mihi propoſitum eſt. Diſquiſitionibus et obſeruationibus reiteratis et multiplicatis, lapſu temporis diiudicari poterit, an hae varietates remotiores ſpecies ſint genuinae, an nihil aliud quam varietates vnius eiusdemque ſpeciei.

*Varietas* tota nigra.

*Long.* 4 lin.

*Caput* orbiculatum ſeu ſubouatum, latitudine paulum longius; thorace minus. Mandibulis magis minusue validis. Antennis nigricantibus ſeu fuſcescentibus.

*Pedes* fuſcescentes; femoribus interdum obſcurioribus.

Huc pertinent varietates 1 et 2 M. p. 32.

Differentia magnitudinis capitis eiusque formae, et fortitudinis mandibularum, nullo modo adhiberi poteſt ad nouam ſpeciem condendam. Haec enim differentia in multis aliis coleopterorum et ipſorum micropterorum ſpeciebus obſeruatur, et forſan etiam differentiae ſexuali reſpondet.

*Varietas* nigra, elytris caſtaneis.

*Long.* 5 — 6 lin.

*Caput*

*Caput* orbiculatum, maius minusue, ſemper autem thorace minus.

Huc pertinet varietas 12 M. p. 32.

Omnes vero reliquae varietates, quarum, pagina citata, mentio facta eſt, exceptis varietatibus 6, 8, 13, de quibus infra quaedam adhuc monebo, vel e copula harum duarum (quae pro ſpeciebus peculiaribus ſtatui poſſunt) ortae ſunt, characteribus patris et matris mixtis; vel ſunt indiuidua modo e pupa prorupta, nondum colore perfecto imbuta, quod in omnibus reliquis inſectis, modo e pupa enatis, obſeruari poteſt. Differentia magnitudinis autem effecta eſſe poteſt cauſis aliis externis, quibus larua magnitudinem perfectam naſci haud potuit.

Dixi in deſcriptione *St. nitidi* M. p. 31., thoracem plerumque puncto tantum vno alteroue maiore, rarius ſeriebus dorſalibus tripunctis impreſſum eſſe; quod autem ſecus ſe habet: Series enim tripunctae dorſale nunquam deſunt, quamuis puncta ſaepe adeo ſubtilia ſint, vt vix oculo armato detegi poſſint. Poſitio horum punctorum haec eſt: Primum ante marginem anteriorem, tertium in medio thoracis (apici attamen paulo propius quam baſi), ſecundum inter primum et tertium, interuallis aequalibus ab vtroque. Rarius

tertium

tertium illud, in medio thoracis poſitum, interuallo maiore a duobus primis diſtat et multo diſtinctius illis eſt. Hanc poſitionem autem non niſi in indiuiduo var. 12. vnico, quod poſideo, obſeruaui.

*Varietas* 6 M. p. 32., ad *St. impreſſum* relata eſt (n. 1).

*Varietas* 8 M. p. 32. propria ſpecies eſſe videtur, de qua infra, ſub nomine *St. articillus* (n. 19.).

*Varietas* 13 M. p. 32. peculiaris quoque ſpecies, *St. tenellus* (n. 18.) eſt.

*Varietas* noua *St. nitidi* eſt nigra; antennis fuſcis, baſi rufis; palpis, pedibus, ſegmentorumque marginibus rufis. — Habitat Norimbergae — *Sturm.*

Haud raro in collectionibus hanc vel illam *St. nitidi* varietatem ſub nomine *St. fulgidus* reperi, e. g. in collectione *Boſciana St. nitidum* nigrum; antennis, pedibus, elytris, ano, ſegmentorumque marginibns rufis; caeteris autem *St. nitido* ſimilem; nec non alium Staphylinum, a *D. Sturm* ſub nomine *St. fulgidus* mecum communicatum, quem pro varietate 12 *St. nitidi* agnoui.

*Geoffroy* (Hiſt. St. n. 11.) Staphylinum deſcripſit, quem M. p. 33. ad *St. nitidum* allegaui. *Fourcroy* (Ent. Par. St. n. 11.) eum

*St. fulvopterus* nominauit. Grauiter autem haereo, an ſit verus *St. nitidus*. Longitudo ei tribuitur tantum 3 linearum; deſcriptio autem valde breuis eſt: "Niger, nitens; pedibus antennis coleoptrisque teſtaceis (couleur maron); elytris punctatis praecipue a ſpecie praecedente (*St. fuluipede* et *ambiguo*) differt. Venter nigro-fuſcus." — An forſan *St. corruſcus?*

6. *St. molochinus*, niger, nitidus, abdomine obſcuro-aeneſcente; antennis palpis tarſis elytrisque caſtaneis; thorace ſeriebus dorſalibus 3-punctis.

*Long.* $3\frac{1}{2}$ — $4\frac{1}{2}$ lin.

A. *St. nitido ſatis* differt thorace haud dilatato, elytris breuioribus et multo gracilius punctis, abdomine vario-aeneſcente.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, punctis interocularibus 2 vel 3, et 3 pone oculos diſtinctis impreſſum, nigrum; antennis filiformibus, capite paulo longioribus, palpisque rufescentibus.

*Thorax* magnitudine coleoptrorum, orbiculatus; ſeriebus dorſalibus ſemper 3 punctis, (punctis vt in *St. nitido* et reliquis, quorum thorax ſeriebus dorſalibus 3 punctus eſt, poſitis); punctis marginalibus et lateralibus vel duobus vel ſolummodo vnico.

Cole-

*Coleoptra* quadrata, obſcuro-caſtanea, ſubtiliſſime puncta, et pilis tenuiſſimis veſtita.

*Abdomen* coleoptris quadruplo longius, nigrum, coloribus variis ſubaeneſcens.

*Pedes* vel nigro-fuſci, tarſis rufescentibus; vel rufo-fuſci, tarſis pallidioribus.

Habitat Brunſuigae — *Dahl.*

*St. molochinus* — *Knoch.*

7. *St. Ulmi* M. p. 199. *Aſtrapaeus Ulmi.*
*St. ulmineus Fabr.* El. St. p. 28.
*Aſtrapaeus Ulmi* Panzer. Fn. G. H. 88. t. 4.

8. *St. laticollis* M. p. 173.

9. *St. moeſtus* nitidus, niger; palpis antennisque obſcuro-fuſcis; pedibus rufo-fuſcis; capite ouato; thorace ſeriebus dorſalibus 5 punctis.

*Long.* 3 — 4 lin.

*Caput* ouatum, thorace duplo fere anguſtius; antennis capite duplo fere longioribus.

*Thorax* coleoptris paulo anguſtior, ſeriebus 5, 3, 2 punctis. Interdum punctorum dorſalium vnum alterumue ſubtilius eſt, ita vt facile oculos fugere poſſit; interdum etiam vnum alterumue ſupernumerarium eſt; vnde euenit, vt ſeries dorſales vel e 4 vel e 6 punctis compoſitae videri poſſint.

*Coleoptra* quadrata, ſubpiloſella, interdum ſubaeneſcentia.

*Pedes*

*Pedes* fuſci, tarſis gracilibus.

Habitat in America ſeptentrionali — *Knoch.*

*St. moeſtus* — *Knoch.*

10. *St. fuliginoſus* M. p. 34.

11. *St. triſtis* M. p. 34. nitidus, niger; ſeriebus dorſalibus tripunctis; capite, oculis magnis, et inter oculos ſerie tranſuerſali 5 vel 6 punctorum impreſſo.

*Long.* 4 — 5 lin.

*Caput* thorace minus, latitudine paulo longius, nigerrimum, nitidiſſimum, leue; punctis 2 vel 3 diſtinctioribus in angulis baſeos, nec non 5 vel 6 inter oculos poſitis impreſſum. Haec puncta, inter oculos poſita, ſeriem formant transuerſalem, ita vt haec ſeries, in medio frontis, interuallo paulo maiore interrumpatur; rarius horum punctorum duo peraffinia ſunt vel confluunt in punctum vnicum, ita vt ſeries e punctis quinque conſtet. Caeterum autem haec punctorum ſeries characterem praebet, quo haec ſpecies bene a ſpeciebus confinibus diſtingui poteſt, quod in ſpeciminibus quinque, quae poſſideo, probatum inueni. — Oculi ſunt magni; antennae, capite paulo longiores, graciliores quam in *St. nitido* (n. 5.), vel omnino nigrae, vel baſi aut omnino rufae ſunt; palpi vel rufescentes vel nigricantes.

*Thorax*

*Thorax* orbiculatus, vix paulo anguſtior quam in *St. nitido*, nigerrimus, nitidiſſimus, coleoptrorum magnitudine; punctura vt in *St. nitido*.

*Coleoptra* quadrata, nitidula, ſubtiliter et confertim puncta; pilis breuiſſimis, interdum ipſo armato oculo vix conſpicuis, tecta.

*Abdomen*, coleoptris plus triplo longius, ſubtiliſſime punctum, nitidulum, nigrum; coloribus aeneis magis minusue micans; ſegmentis vltimis vel integris vel ventre ſinuatis, penultimo autem ſemper multo profundius quam antepenultimum.

*Pedes* nigri; tarſis fuscis, anticis dilatatis.

Habitat Brunſuigae — Captus, tempore vernali, ad foſſas, ſub lapidibus — *Dahl.* — Habitat etiam Pariſiis, vbi in collectione *Boſciana* varietatem huius Staphylini antennis totis ochraceo-rufis vidi.

*St. triſtis Fabr.* Ent. Syſt. St. n. 21., niger, thorace obſcuro-aeneo, elytris pubescentibus obſcurioribus. — Habitat in Dania; Muſ. Dom. de Scheſtedt — Paulo maior St. polito. Antennarum articulus primus apice ferrugineus. Caput leue, atrum. Thorax leuis, nigro-aeneus nitidulus. Elytra pubescentia obſcuriora. Corpus nigrum.

12. *St. ruficornis*, nitidus, niger; abdomine aeneo-vario; palpis, antennis, pedibusque rufis; capite ouato, oculis magnis.

*Long.* 4 lin.

Statura graciliore, capite paruo, thorace haud dilatato etc. a St. praecedente differt; ſtatura maiore, abdomine breuiore aeneo etc. a *Staph. attenuato* (n. 31).

*Caput* ouatum, thorace breuius et multo anguſtius, nigrum; antennis, capite paulo longioribus, palpisque rufis; oculis magnis oblongis.

*Thorax* coleoptrorum magnitudine, ſeriebus dorſalibus tripunctis, puncto marginali vno; punctis ſubtilibus.

*Coleoptra* nitidula, quadrata, fuſcescentia, ſubpiloſella, confertiſſime ſubtiliſſimeque puncta.

*Abdomen*, vt in St. praecedente, coloribus aeneis micans; rarius opacum nigrum, ſegmentorum marginibus ventre rufescentibus.

Habitat Pariſiis — *Latreille.*

13. *St. ſcitus* niger, nitidus; pedibus, antennis, elytrisque rufis; his angulo apicis exteriore nigro; thorace ſeriebus dorſalibus tripunctis.

*Long.* 3 — 3¼ lin.

Habitu omnino *St. nitidi* (n. 5.) minoris; ſtatura autem graciliore.

*Caput*

*Caput* ſuborbiculatum, latitudine paulo longius, thorace duplo fere minus, nigrum, nitidum, in angulis baſeos punctis paucis impreſſum; oculis paruis; antennis, capite paulo longioribus, palpisque rufo-teſtaceis.

*Thorax* niger, coleoptrorum fere magnitudine, orbiculatus, nec vero eadem latitudine ac in *St. nitido*, angulis apicis deflexis; puncto marginali vno, vnoque laterali minuto, ſeriebus dorſalibus 3 punctis.

*Scutellum* nigrum.

*Coleoptra* quadrata, nitida, pilis pertenuibus, haud confertiſſimis, veſtita; ſubtiliter, nec vero confertiſſime, puncta; rufa, angulis apicis nigris.

*Abdomen* coleoptris plus triplo longius, piloſellum, nigrum, ſegmentorum marginibus rufescentibus.

*Pedes* rufo-teſtacei, tarſis interdum obſcurioribus.

Habitat Brunſuigae — ad ſalicem captus hyemans — *Dahl.*

14. *St. corruscus* M. p. 33.

15. *St. coenoſus* niger, nitidus, coleoptris caſtaneo-rufis; thorace ſeriebus dorſalibus 4 punctis; capite orbiculato.

*Long.* 5 — 6 lin.

Statura, nec non partium forma proportione et punctura *St. aeneo* ſimillimus, a quo coleoptris rufis et ſubtilius punctis differt.

*Caput* quadratum, angulis obtuſis, thorace paulo latius; punctis craſſis confertis in angulis baſeos, et inter oculos paruos punctis 4 maioribus, nec non quibusdam minoribus vagis, impreſſum; antennis filiformibus, capite paulo longioribus.

*Thorax* coleoptris paulo minor, apicem verſus vix paulo anguſtior, punctis 1, 2, 4 maioribus, praeterea autem nonnullis minoribus praeſertim in angulis apicis, impreſſus.

*Coleoptra* quadrata, ſubtilius puncta quam in *St. aeneo* (n. 78.); pilis tenuibus, teſtaceogriſescentibus veſtita.

*Scutellum* nigrum.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, nigrum, pilis tenuiſſimis griſescentibus veſtitum.

*Pedes* nigri, tarſis omnibus gracilibus fuscescentibus.

Habitat Norimbergae — *Sturm.*

*St. coenoſi* varietas? *St.* nigro-fuscus, elytris piceis; capite orbiculato; thorace ſeriebus dorſalibus 4 punctis.

*Long.* 5 lin.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, nitidum, baſi punctis paucis impreſſum; nigro-

gro - fuſcum; antennis capite longioribus; clypeo et labro teſtaceis.

*Thorax* nigricans, obſcuro - rufomicans; 4, 3, 1 punctus.

*Coleoptra* quadrata, puncta, picea, pilis tenuiſſimis veſtita.

*Abdomen* nigro - fuſcum, ſegmentorum marginibus ventre pallidioribus.

*Pedes* fuſci, tarſis anticis ſubdilatatis.

Huius *Staphylini* ſpecimen vnicum e collectione *Hellwigio-Hoffmannseggiana* deſcripſi.

Habitat in Boruſſia — *Kugelann.*

16. *St. palliatus* nitidus, niger; elytris, pedibus, antennarumque baſi teſtaceo - rufis.

*Long.* 2 lin.

*Caput* ſuborbiculatum, thorace paulo minus, nigrum; articulo primo antennarum rufo.

*Thorax* coleoptris paulo minor, ſeriebus dorſalibus 4 - 5 punctis; lateralibus 3-, marginalibus 2 punctis.

*Coleoptra* quadrata, ſubpiloſella, teſtaceo - rufa.

*Pedes* teſtaceo - rufi, capitibus femorum nigerrimis.

Habitat in America ſeptentrionali — *Knoch.*

17. *St. peregrinus*, nitidus, nigricans; antennis, palpis, elytris, pedibus, thoracis lateribus, et ſegmentorum marginibus rufescentibus.

*Long.*

*Long.* 3 lin.

Habitu et thoracis forma *St. nitido* (n. 5.) affinis; capite autem ouato et colore ſatis differt.

*Caput* ouatum, thoracis longitudine, ſed eo anguſtius, nitidum, punctis perpaucis maioribus impreſſum, nigrum; antennis (quarum articulus vltimus deeſt) capite paulo longioribus, palpisque rufis.

*Thorax* punctis quibusdam impreſſus, niger, lateribus rufescentibus.

*Coleoptra* quadrata, ſubpiloſa, piceo-rufescentia.

*Abdomen*, ſegmentorum marginibus rufis, ſupra nigricans, infra fuſcum.

*Pedes* teſtaceo-rufi, tarſis anticis dilatatis.

Habitat in Carolina — *Bosc.*

18. *St. tenellus* — *St. nitidi* var. 13. M. p. 32. nigro-fuſcus; abdomine pedibusque pallidioribus; elytris teſtaceis; thorace ſeriebus dorſalibus 4 punctis.

*Long.* $5\frac{1}{2}$ lin.

Statura graciliore, colore et thoracis punctura ſatis a *St. nitido* (n. 5.) diſtinctus eſt — ſpecimen autem tantummodo vnicum in mea collectione exſtat.

*Caput* ſuborbiculatum, latitudine paulo longius, thorace minus, nigrum, nitidiſſimum;

mum; in angulis baſeos punctum, punctis 3 diſtinctioribus; antennis fuſcescentibus.

*Thorax* orbiculatus, latitudine fere eadem ac in *St. nitido*; nigro-fuſcus, marginibus pallidioribus; puncto marginali vno; ſerie laterali 3 puncta; ſeriebus dorſalibus 4 punctis, punctis autem ſubconfluentibus. Praeterea punctum marginale in angulo baſeos, ante humeros coleoptrorum, impreſſum eſt, diſtinctius quam in reliquis huius familiae Staphylinis.

*Scutellum* nigro-fuſcum.

*Coleoptra* quadrata, dilute teſtacea, nitida, ſubtiliter puncta, pilis tenuiſſimis veſtita.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, piloſellum, fuſcum, ſubtiliter punctum.

*Pedes* fuſci; tarſis anterioribus pallidioribus, anticis breuibus.

19. *St. atricillus* — *St. nitidi* var. 8. M. p. 32. — fuſcus; capite nigro; pedibus teſtaceis; ſeriebus dorſalibus thoracis tripunctis.

*Long.* 4 lin.

*Statura* paulo graciliore et colore a *St. nitidi* varietatibus differt.

*Caput* ſuborbiculatum, latitudine paululum longius, nigrum, nitidiſſimum, punctis 4 in angulis baſeos diſtinctioribus impreſſum; antennis palpisque rufescentibus.

*Thorax*

*Thorax* orbiculatus, anguſtior paulo quam in *St. nitido*, vix coleoptris paulo minor; nitidus, rufo-fuscus; punctura vt in *St. nitido.*

*Scutellum* rufo-fuscum.

*Coleoptra* quadrata, rufo-fusca, nitida; punctura et pilis vt in *St. nitido.*

*Abdomen* coleoptris triplo longius, ſubtiliſſime punctum, ſubpiloſellum, nitidum, rufo-fuscum, marginibus ſegmentorum pallidioribus.

*Pedes* rufo-teſtacei.

20. *St. maurorufus*, nigro-fuſcus; capite atro, oculis magnis; pedibus et antennarum baſi teſtaceis; thorace ſeriebus dorſalibus tripunctis.

*Long.* 3 lin.

Habitu *St. nitidi* (n. 5.).

*Caput* orbiculatum, thorace duplo minus, nigrum, nitidum; puncto vno maiore pone oculos, in angulo baſeos, et puncto obſoleto, ſeu impreſſione leui, frontali. Oculis magnis. Antennis, capite longioribus, teſtaceo-fuscis, griſeo-piloſellis, baſi pallidiore nuda. Palpis teſtaceis.

*Thorax*, coleoptrorum fere magnitudine, orbiculatus, angulis apicis deflexis; fuscus ſeu nigro-fuſcus, margine laterali pallidiore; punctis 1, 2, 3, vt in *St. nitido*, impreſſus.

*Cole-*

*Coleoptra* quadrata, ſubopaca, confertim puncta, pilis tenuibus e flauo griſescentibus veſtita; vel fusco-nigricantia, marginibus rufo-fuſcis; vel fuſca, marginibus et ſutura rufescentibus.

*Abdomen* coleoptris plus triplo longius, opacum, nigro-fuscum vel fuscum, piloſellum.

*Pedes* rufo-teſtacei vel teſtacei.

Habitat Brunſuigae — captus ſub cortice ſalicum, tempore vernali — *Dahl.*

*St. mauro-rufus* — *Knoch.*

21. *St. praecox* M. p. 172.

22. *St. brunneus* M. p. 172.

23. *St. pygmaeus*, nitidus, niger; palpis, antennis, elytris, pedibusque rufescentibus; thorace haud dilatato, ſeriebus dorſalibus 3 punctis.

*Long.* 2 lin.

*Caput* ſuborbiculatum, latitudine paulo longius, thorace minus; punctis 2 vel 3 diſtinctioribus in angulis baſeos, punctoque vnico ad marginem interiorem oculorum, impreſſum; nigrum; antennis, capite paulo longioribus, palpisque rufis.

*Thorax* ſuborbiculatus, apicem verſus paulo anguſtatus, coleoptris minor; niger, nitidus; punctis 1, 2, 3, et praeterea punctis 2 maioribus,

ribus, quorum ſingulum inter punctum vltimum ſerierum dorſalium et baſeos angulum, illi attamen propius, poſitum eſt, impreſſus.

*Coleoptra* ſubquadrata, nitida, latitudine vix paulo longiora, puncta, ſubpiloſella, caſtanea.

*Abdomen* coleoptris plus duplo longius, nigrum, nitidum, ſubpiloſellum; marginibus ſegmentorum rufescentibus.

*Pedes* teſtaceo-rufi.

Huius ſpeciei indiuiduum ſolummodo vnicum poſſideo.

24. *St. discoideus* M. p. 38.

*Long* $2\frac{1}{2}$ lin.

*Caput* orbiculatum, thorace minus; nitidum, nigrum; punctis quibusdam in angulis baſeos, quatuorque inter oculos, impreſſum. Antennis, capite longioribus, palpisque fuscis; illis baſi rufis.

*Thorax*, forma et proportione vt in *St. fusco* (n. 26.), 1, 3, 5 punctus; punctis autem diſtinctiſſimis; rufescens vel nigro-rufus.

*Coleoptra* quadrata, puncta, punctis craſſioribus quam in *St. fusco*, ſubtiliter piloſella, vel nigricantia aut nigro-rufescentia vel picescentia, marginibus plerumque pallidioribus.

*Abdomen* coleoptris triplo fere longius, nitidulum, piloſellum; vel dorſo fuscum, ventre

tre rufescens; vel nigrum, ſegmentorum marginibus ventralibus rufescentibus; vel totum nigrum.

*Pedes* rufescentes ſeu rufo-teſtacei.

Habitat in Germania et in Gallia.

Hunc Staphylinum in collectione *Bosciana* ſub nomine *St. flauescens* Fabricii vidi; et nihil obſtat, quin huc referatur, Fabricius enim ipſe inſecta collectionis Boscianae examinauit et denominauit.

*St. flauescens Fbr.* El. St. n. 41.

*St. flauescens Linn.* Fn. Suec. n. 850. huc non pertinere videtur, nam "ſimilis eſt *St. ſubterraneo*" (*Tachyporo ſubterraneo*) — Confer *T. humeralis* M. p. 157.

25. *St. ſericans* M. p. 171. variat colore ſericeo thoracis euanescente, coleoptris ſubpiloſellis.

26. *St. fuscus* M. p. 29.

*Long.* 3 lin.

*Caput* orbiculatum, thorace vix minus, nitidum, nigrum; in angulis baſeos punctum, et ſerie punctorum 5, interuallis aequalibus diſtantium, medio autem obſoletiore, inter oculos impreſſum. Antennis, capite paulo longioribus, palpisque rufo-fuſcescentibus.

*Thorax* ſubquadratus, apicem verſus paululum anguſtior; punctis 1, 3, 4 minutis impreſſus; coleoptris paulo minor; nigro-rufus.

*Cole-*

*Coleoptra* quadrata, nitida, confertiſſime et ſubtiliter puncta, pilis griſescentibus tenuibus veſtita, fusco-picescentia.

*Abdomen* nigrum, nitidum, piloſellum; marginibus ſegmentorum ventralibus, et ſegmenti vltimi et penultimi marginibus quoque dorſalibus rufescentibus.

*Pedes* rufi.

27. *St. teſtaceus* fusco-niger, nitidus; antennis pedibusque rufescentibus; elytris picescentibus; capite orbiculato; thorace ſeriebus dorſalibus 5 punctis.

*Long* 2 — 2¼ lin.

*Caput* orbiculatum, thorace vix paulo minus, nitidum, nigrum, punctis paucis impreſſum; oculis paruis; antennis rufis, capite longioribus; palpis fuscis.

*Thorax* ſubquadratus, coleoptris paulo minor, nitidus, fusco-niger; 1, 3, 5 punctus.

*Coleoptra* quadrata, piloſella, ſubpicescentia.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, nigrum, dorſo ſubgriſeo-ſericante; marginibus ſegmentorum ventralibus rufescentibus.

*Pedes* rufo-picei, tarſis anticis ſubdilatatis.

Habitat Brunſuigae — *Knoch* — et Pariſiis. — *Latreille.*

*St. teſtaceus Payk.* St. XX.

28. *St. ventralis* M. p. 174.

29.

29. *St. terminatus* M. p. 30.

30. *St. ſubuliformis* M. p. 29. et *St. fragilis* M. p. 30., ex obſeruatione Dom. Prof. *Knoch* varietates ſunt vnius eiusdemque ſpeciei. — *Thorax* ſeriebus dorſalibus bipunctis impreſſus eſt.

31. *St. attenuatus* M. p. 27. nigricans ſeu fuscescens, nitidus; pedibus teſtaceis; oculis magnis; ſeriebus dorſalibus thoracis tripunctis.

*Long.* 2½ — 3½ lin.

*Caput* orbiculatum, thorace minus, nigrum, nitidiſſimum; punctis 2 in angulis baſeos diſtinctioribus, et puncto vno ad marginem oculorum interiorem, impreſſum; antennis, capite longioribus, vel omnino teſtaceo-rufis, vel obſcuro-rufis baſi pallidiore; palpis rufis.

*Thorax* orbiculatus, magnitudine fere coleoptrorum, nitidiſſimus, vel niger, vel fuscus lateribus rufescentibus; plerumque 1, 2, 3 punctus.

*Coleoptra* exacte quadrata, ſubopaca, nigricantia vel fuſcescentia, pilis tenuiſſimis rarioribus veſtita; ſubtiliſſime puncta, et quidem ſubtilius quam in plurimis reliquis Staphylinis.

*Abdomen* coleoptris plus triplo longius, piloſellum, ſubnitidum, nigricans ſeu fuſcescens.

*Pedes* teſtacei.

Longi-

Longitudo abdominis haud ſemper eadem eſt. Omnia eo dependent, an animalculum moriens abdomen contraxerit, nec ne. Caeterum autem hic Staphylinus ſemper abdomine longiore gaudere videtur quam reliqui huius familiae Staphylini.

Color et magnitudo huius Staphylini variant.

*Varietas* 1. nigra; antennis, elytris, thoraceque fuſcescentibus, hoc margine laterali rufescescente.

*Long.* 2½ — 3 lin.

*Thorax* puncto vno marginali, vnoque laterali diſtinctis; interdum vero etiam ſeriebus lateralibus tripunctis; punctis duobus ſubtiliſſimis, tertio intermedio autem diſtincto impreſſus.

*Var.* 2. fusco-caſtanea; thoracis margine, antennarum articulo primo, palpisque pallidioribus; pedibus teſtaceis; capite nigro.

*Long.* 2⅔ lin.

*Caput* interdum puncto maiore interoculari obſoleto impreſſum.

*Thorax* puncto vno marginali lateralibusque tribus diſtinctis.

*Abdomen* fuscum, colore cupreo-rutilante aenescens.

*Var.* 3. *Caput* nigrum; antennis fuscis, articulo primo teſtaceo; palpis teſtaceis.

*Thorax*

*Thorax* fusco-caſtaneus, margine laterali rufo vnipuncto, lateribus tripunctis, punctis his lateralibus plerumque diſtinctis, interdum autem obſoletioribus vti in varietate prima.

*Coleoptra* fusco-ſeu rufo-caſtanea.

*Abdomen* nigro-viridi-aeneum, marginibus ſegmentorum rufis.

*Pedes* rufo-teſtacei.

*Long.* 3½ lin.

Hanc varietatem tertiam Dom. *Dahl* mecum communicauit ſub nomine *St. limbatus. Magnitudine* nimirum et colore ſatis a var. 1. differt; ſit ergo ſpecies propria. Var. 2. autem, ſpecies ſpuria, forſan e copula *St. attenuati* et *St. limbati*, inter quos medium tenet, orta eſt.

Habitu partiumque forma ac proportione omnes autem congruunt.

Habitat Brunſuigae — *Dahl.*

32. *St. bimaculatus* M. p. 38.

33. *St. bipustalatus* M. p. 37. niger, nitidus; elytrorum macula apicem verſus ſanguinea.

*Long.* 2½ — 4 lin.

Sutura nigra et capitibus femorum obſcuris a *Staph. ſanguinolento* (n. 34.); macula elytrorum angulum apicis interiorem verſus diſtincta nec variabili, femorumque capitibus obſcuris a *St. opaco* (n. 35.) differt.

Omnes

Omnes M. p. 37. deſcriptae varietates, tertia excepta, quae verus *S. bipuſtulatus* eſt, ad *St. opacum* referuntur.

Ex obſeruatione Dom. Prof. *Knoch* hic *St. bipuſtulatus* et *St. ſanguinolentus* ad vnam eandemque ſpeciem referendi ſunt, nec niſi ſexu differunt.

34. *St. ſanguinolentus* M. p. 36.

*Pedes* capitibus femorum anticis flauo-testaceis; tarſis anticis interdum dilatatis.

Habitat in Germania et Gallia.

*St. contaminatus* M. p. 174. mera *St. ſanguinolenti* varietas, aut ſpecies intermedia inter hunc et *St. opacum* eſt; forſan e copula amborum ortus.

35. *St. opacus* M. p. 26., niger, nitidus; coleoptris ſanguineo notatis, ſutura autem ſemper nigra; capitibus femorum anticis (plerumque) teſtaceis; ſeriebus dorſalibus thoracis 5 punctis.

Diſtingui poteſt a *St. ſanguinolento* (n. 34.) capite ouato, multo minore, ſutura nunquam ſanguinea; a *St. bipuſtulato* (n. 33.) macula apicis elytrorum diſtincta deficiente, et capitibus femorum anticis plerumque teſtaceis.

*Long.* 2 — 3½ lin.

*Caput* ouatum, thorace duplo minus.

*Thorax*

*Thorax* coleoptris minor, ſeriebus dorſalibus 5 punctis.

*Elytra* magis minusue pilis griſescentibus veſtita; ſanguineo-notata, et quidem:

1. puncto humerali et ſtriga discoidali ſanguineis confluentibus. — *Payk. St. varians* var. *β.* in Mon. St. n. 33.
2. puncto humerali ſanguineo.
3. ſtriga disci ſanguinea.
4. ſtriga humerali ſanguinea.
5. ſtriga laterali ſanguinea.

*Pedes* nigri vel nigro-fusci; capitibus femorum anticis plerumque planatis, teſtaceis.

*Varietates* occurrunt intermediae, ſeriebus thoracis dorſalibus 4 punctis, ſtatura parua 2 lin., elytris nigricantibus vel griſeo-ſubſericantibus. Haec ſpecimina forſan e copula huius Staphylini cum aliis minoribus orta ſunt.

*Species intermedia* inter *St. opacum* et *St. atratum* eſt *St. obſcurus* M. p. 174., qui paſſim in Germania occurrit.

*Long.* 3 lin.

*Caput* latitudine vix paulo longius, thorace paulo vel duplo minus; punctis quibusdam in angulis baſeos, et 4 interocularibus diſtinctis impreſſum; antennis, capitis thoracisque longitudine, palpisque obſcuro-fuscis.

*Thorax* coleoptris minor, 1, 3, 5 punctus.

 *Cole-*

*Coleoptra* quadrata, nigra vel ſubfuscescentia, ſubtiliter puncta, ſubpiloſella.

*Abdomen* coleoptris triplo longius.

*Pedes* fusci; capitibus femorum anticis interdum pallidioribus.

36. *St. immundus*, nitidus, niger; baſi antennarum, palpis, et pedibus teſtaceo-rufis; capite ſuborbiculato; thorace ſeriebus dorſalibus 5 punctis.

*Long.* 5 lin.

*Caput* ſuborbiculatum, thorace minus. Antennis, capite longioribus, fuscescentibus; articulo primo rufescente. Palpis rufescentibus.

*Thorax* colore fugaciſſimo griſeo ſubſericans, ſeriebus 5, 3, 2 punctis.

*Coleoptra* quadrata, puncta, nigra, pilis tenuiſſimis griſeis tecta, margine laterali pallido.

*Abdomen* ſubpiloſellum, nigrum, marginibus ſegmentorum ventralibus rufis.

*Pedes* teſtaceo-rufi.

Habitat Pariſiis — *Bosc*, *Desmareſt.*

Staphylinum ſimillimum, capite vix paulo minore quam thorax, puncto quinto ſerierum dorſalium paulo remotiore et diſtinctiore Dom. *Sturm* mecum communicauit.

37. *St. celer*, niger, nitidus; antennis fuscis; pedibus rufo-teſtaceis; ſegmentorum marginibus

nibus ventre rufis; thorace ſeriebus dorſalibus 5 punctis; capite ſubouato.

*Long.* 3 lin.

*Caput* ſubouatum, thorace paulo anguſtius, nigrum; palpis antennisque fuscis, his capite duplo longioribus.

*Thorax* coleoptris paululum minor, nigricans, 5, 3, 1 punctus, punctis diſtinctis.

*Coleoptra* ſubdepilia, piceo-nigra.

*Pedes* tarſis tenuibus.

Habitat Pariſiis — *Latreille.*

38. *St. Anthrax* M. p. 176.

39. *St. ochropus* M. p. 39.

40. *St. rufipes* M. p. 171.

41. *St. ebeninus* M. p. 170.

42. *St. carbonarius* M. p. 23.

43. *St. fumarius* St. nitidus niger, pedibus rufis; capite orbiculato; thorace ſeriebus dorſalibus 6 punctis.

*Long.* 3 — 4 lin.

*Caput* ſuborbiculatum, thorace duplo minus, nitidum, nigrum; punctis 4 in angulis baſeos diſtinctioribus, et 4 interocularibus impreſſum. Antennis, capite plus duplo longioribus, palpisque fuscescentibus.

*Thorax* orbiculatus, apicem verſus paulo anguſtior, coleoptris minor; niger, nitidus; 2, 3, 6 punctus.

*Coleoptra* quadrata, minus nitida quam caput et thorax, ſubaenescentia, pilis tenuiſſimis griſeis veſtita; puncta, punctis ſubtilioribus quam in *St. polito.*

*Abdomen* coleoptris triplo longius, nigrum, nitidulum, piloſellum.

*Pedes* teſtaceo-ruſi; capitibus femorum nigricantibus.

Habitat Brunſuigae; raro captus ſub gramine ad ripas — *Dahl.*

Dom. Prof. *Knoch* mecum communicauit hanc notitiam: "*St. carbonarius* in collectione Hellwigiana (idem indiuiduum, quod M. p. 25. deſcriptum eſt) cum St. *fumarii* ſpeciminibus, quae Dom. *Dahl* legit, forma partium, punctura elytrorum, et colore pilorum, quibus totum corpus tectum eſt, congruit; thorax eſt 1, 3, 4 punctus. Indiuiduis autem a Dom. *Dahl* lectis, thorax eſt 1, 3, 6 punctus; maiora ſunt et latiora quam St. carbonarius in collectione Hellwigiana, pedibus pallidioribus; ergo ſpeciei ſunt peculiaris."

44. *St. nigrita*, nitidus, niger; thorace colore fugaciſſimo griſeo ſericante, ſeriebus dorſalibus ſexpunctis.

*Long.* $3\frac{1}{3}$ lin.

*Caput* ſuborbiculatum, latitudine paulo longius, thorace duplo fere minus; punctis

paucis

paucis diſtinctioribus in angulis baſeos, et 4 interocularibus impreſſum; nigrum; antennis, capite triplo fere longioribus, palpisque fuscescentibus.

*Thorax* omnino *St. micantis* (n. 69.) orbiculatus, apicem verſus ſenſim anguſtior, coleoptris duplo fere minor; 2, 3, 6 punctus; niger, colore fugaciſſimo griſescente ſericans.

*Coleoptra* quadrata, latitudine vix paulo longiora, nitidula, nigra, ſubpiloſella, confertim et ſubtiliter puncta, minus attamen ſubtiliter quam in *St. micante.*

*Abdomen* coleoptris triplo longius; nigrum nitidum, ſubpiloſellum.

*Pedes* nigri, tarſis fuscis.

Huius ſpeciei indiuiduum modo vnicum in collectione mea poſſideo, et nusquam alibi haec ſpecies mihi occucurrit. De vitae eius genere plane ſum nescius. — Forſan varietas *St. fumarii* aut ſpecies ſpuria.

45. *St. Virgo* M. p. 169.

46. *St. vmbratilis* M. p. 170.

47. *St. vmbrinus* M. p. 169.

48. *St. paruicornis* M. p. 23.

49. *St. rigidicornis* M. p. 23.

50. *St. breuicornis* M. p. 22.

51. *St. nitidulus* M. p. 27.

52.

52. *St. microcephalus*, nitidus, niger; pedibus rufis; capite ſuborbiculato; thorace ſeriebus dorſalibus 4 punctis.

*Long.* 3 lin.

*Caput* latitudine paulo longius, thorace minus; nigrum; antennis, capitis longitudine, et palpis fuſcis.

*Thorax* coleoptris paulo minor; 2, 3, 4 punctus.

*Coleoptra* quadrata, fuſceſcenti-nigricantia, ſubſericantia.

*Abdomen* nigrum, griſeo-ſericans; ſegmentorum marginibus ventralibus ſummis rufis.

*Pedes* rufi; capitibus femorum obſcuris.

Habitat Pariſiis — *Brongniart.*

53. *St. ſcintillans* nitidus, niger, ſubaeneſcens; capite paruo, oculis magnis; thoracis ſeriebus dorſalibus tripunctis.

*Long.* 2½ lin.

*Caput* thorace duplo fere minus, latitudine paulo longius, nigro-aeneum, nitidiſſimum; punctis 4 inter oculos, vnoque diſtincto maiore in angulis baſeos, impreſſum. Oculis magnis. Antennis, capite paulo longioribus, palpisque fuſcis.

*Thorax* coleoptris paulo minor, ſuborbiculatus, apicem verſus vix paulo anguſtatus, nigro-aeneus nitidiſſimus; 1, 2, 3 punctus.

*Cole-*

*Coleoptra* quadrata, puncta, ſubpiloſella, nitida, nigricantia; marginibus lateralibus ſummis ſubrufescentibus.

*Abdomen* coleoptris triplo fere longius, nigrum, ſubpiloſellum.

*Pedes* validi, fusci, tarſis anticis dilatatis.

Huius ſpeciei vnicum modo indiuiduum in mea collectione exſtat.

54. *St. boops* M. p. 21.

*Varietas* long. 2 lin. thoracis punctis ſubtilioribus, coleoptris ſubnigro-aenescentibus. — Habitat Pariſiis — *Latreille*, *Bosc.*

55. *St. cephalotes* M. p. 22.

*Thorax* ſubquadratus, angulis obtuſis.

*Coleoptra* ſubdepilia.

Habitat Pariſiis — *Latreille.*

56. *St. marginatus* M. p. 24.

Habitat etiam Pariſiis.

57. *St. thoracicus* M. p. 170.

58. *St. ruficollis*, niger, nitidus, thorace rufo. *Long.* 3 lin.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, nitidum, punctis perpaucis impreſſum, nigrum; antennis, capite longioribus, fuscis.

*Thorax* ſuborbiculatus, longitudine paulo latior, rufus, nitidiſſimus, coleoptris paulo minor; punctis duobus dorſalibus vnoque marginali impreſſus.

*Scutel-*

*Scutellum* rufum.

*Coleoptra* quadrata, craſſius puncta, nitida, pilis perpaucis rigidioribus veſtita.

*Abdomen* nigrum, nitidum; ano rufeſcente; ſegmentorum marginibus ſetis rarioribus longis erectis fimbriatis.

*Pedes* nigricantes; tarſis femorumque capitibus rufeſcentibus.

Habitat?

E collectione *Brongniartiana.*

59. *St. tenuis* M. p. 59.

60. *St. blandus* nitidus, rufus; capite pectore, coleoptris, anoque nigris.

*Long.* 3 lin.

*Caput* orbiculatum, thoracis magnitudine, nigrum; palpis antennisque fuſcis, his capite paulo longioribus.

*Thorax*, teſtaceo-rufus, coleoptris paulo anguſtior, latitudine paulo longior; punctis, vno latere 5, 3, 2, altero 4, 3, 2, 1, exceptis adhuc quibusdam aliis vagis, impreſſus.

*Coleoptra* quadrata depilia nigra.

*Abdomen* ſegmentis tribus primis rufis, reliquis nigris.

*Pedes* rufo-teſtacei.

Habitat in America ſeptentrionali — *Knoch.*

61. *S. formoſus* nitidus, rufus; capite, thorace, anoque nigris.

*Long.*

*Long.* 3 lin.

*Habitu* Staphylinorum fam. I. thorace autem quadrato.

*Caput* quadratum, angulis obtuſis, thoracis magnitudine, punctis perpaucis diſtinctis impreſſum, nigrum; antennis, capite longioribus, fuscis; ore rufescente.

*Thorax* quadratus, coleoptris breuior et paulo anguſtior, niger, punctis 5, 3, 2 distinctis impreſſus.

*Coleoptra* latitudine paulo longiora, ſubpiloſella, puncta, rufa.

*Abdomen* rufum, ſegmentis duobus vltimis nigerrimis; pectore rufo.

*Pedes* teſtacei, tarſis tenuibus.

Habitat in Carolina — *Boſc.*

62. *St. binotatus* niger, nitidus; elytrorum angulo apicis exteriore rufo; capite thoraceque multipunctis.

Habitu *St. rufipennis* e fam. II., ſtatura autem graciliore, colore, neo non antennis gracilioribus diſſert.

*Caput* orbiculatum, thorace vix paulo minus; punctis, praecipue baſi et lateribus, impreſſum; antennis extrorſum vix craſſioribus, capitis et thoracis longitudine.

*Thorax*

*Thorax* coleoptris paululum anguſtior; ſuborbiculatus; punctus, ſubpuncto-ſtriatus, medio autem leuiſſimus.

*Coleoptra* latitudine paulo longiora, puncto-ſubcicatricoſa, pilis tenuibus ſparſis griſeis veſtita.

*Pedes* nigro-fuſcescentes; tarſis anticis dilatatis.

Habitat in Boruſſia — *Hellwig.*

63. *St. dubius* nitidus, niger; pedibus coleoptrisque rufis, his baſi nigris; thorace ſeriebus dorſalibus 4 punctis.

*Long.* 2¾ lin.

*Caput* ſuborbiculatum, thorace paulo minus, nigrum; antennis, capitis thoracisque longitudine, articulo primo rufescente.

*Coleoptra* latitudine paulo longiora, ſubpubescentia, rufa, margine humerali nigro.

*Pedes* piceo-teſtacei; femoribus poſticis, capitibusque femorum obſcuris.

Habitat? Pariſiis?

E collectionibus *Boſciana* et *Latreilleana.*

64. *St. lepidus* M. p. 31.

65. *S. flauopterus* nitidus niger; pedibus elytrisque teſtaceis; thorace ſeriebus dorſalibus quadripunctis; capite ouato.

*Long.* 3¼ lin.

Habitu,

Habitu, partiumque forma ac proportione St. ſequentis; abdomine autem craſſiore et numero punctorum thoracis differt.

*Caput* et *thorax* vix ſubgriſeo - ſericant. Palpi rufi. Antennae rufescentes, articulo primo pallidiore.

Habitat Pariſiis — *Brongniart.*

*St. flauopterus Fourcr.* Ent. Par. St. 10.

*Geoffr.* Hiſt. St. n. 10.

*Olivier* Ent. St. n. 36. t. IV. f. 40?

66. *S. fuluipes* M. p. 24.

*St. flauopterus* Ol. Ent. St. n. 36. t. IV. f. 40?

— — *Fourcr.* Ent. Par. St. n. 10. var. A.

*Geoffr.* Hiſt. St. n. 10. var.

*St. fuluipes Panzer* F. G. H. 27. t. 9., monente *Sturmio* ipſo, huc quidem referendus eſt, ſed perperam exhibitus.

67. *St. vernalis*, nitidus, niger; palpis pedibus et antennarum baſi rufis; thorace ouato, ſeriebus dorſalibus 5 punctis.

*Long.* 3 lin.

A. *S. micante* (n. 69.) thorace anguſtiore et paulo longiore; defectu coloris ſericantis thoracis; pilis elytrorum et abdominis rarioribus; ſegmentorum marginibus haud rufescentibus; capitibus femorum, cum reliquis pedum partibus, teſtaceo rufis; diſtinguitur.

*Caput*

*Caput* ouatum, thorace minus, punctis perpaucis impreſſum; nigrum; palpis teſtaceo-rufis; antennis, capite longioribus, fuſcescentibus, articulo primo rufo.

*Thorax* ſubouatus, latitudine paulo longior, coleoptris paulo anguſtior, ſed eorum longitudine; ſubtiliter 5, 3, 2 punctus; rariſſime ſerierum dorſalium vna 6 — altera 5 puncta.

*Coleoptra* ſubpiloſella, paulo diſtinctius puncta, quam in *St. micante*, ſubquadrata, latitudine vix paulo longiora.

*Pedes* rufo-teſtacei; tibiis, tarſisque paulo obſcurioribus.

Habitat, tempore vernali, ſub lapidibus, in ſuffocatis — Göttingae — tempore aeſtiuo ſub foliis deciduis ad ſepes, Brunſuigae — *Dahl.*

68. *St. albipes* M. p. 28.

69. *St. micans* M. p. 25.

*Long.* 2½ — 3 l.

*Caput* ſubouatum, latitudine paulo longius, thorace duplo fere minus; in angulis baſeos punctum, punctis quibusdam diſtinctioribus; ſerie transuerſali inter oculos 4 puncta. Antennis, capite duplo longioribus, fuscis, baſi rufescentibus; palpis rufo-fuscis.

*Thorax* orbiculatus, coleoptris minor, niger, colore fugaciſſimo flauescente ſericans; 1, 3, 6 punctus.

*Cole-*

*Coleoptra* ſubquadrata, latitudine paulo longiora, nigricantia, pilis ſubtiliſſimis denſis flauo-griſescente-ſericantibus veſtita; ſubtiliſſime puncta, ita vt punctura vix oculis armatis ſe prodat.

*Abdomen* coleoptris triplo fere longius, nigrum; ſed pilis griſescentibus, vt elytra, veſtitum; ſegmentorum marginibus ventralibus rufescentibus.

*Pedes* rufo-teſtacei; capitibus femorum fuſcis.

*Species ſpuriae*, ſeu varietates exſtant intermediae inter hunc Staphylinum et quosdam alios, eg. *St. variantem* (n. 73.) et *lucidum* quae infra deſcriptae ſunt.

*Varietates*, colore fugaci thoracis obſoletiſſimo et coleoptris minus piloſellis, habitant Norimbergae — *Sturm.* —

*Varietates* etiam occurrunt ſeriebus thoracis dorſalibus 5 punctis; punctis 2 vltimis interdum interuallo diſtincto a 3 primis remotis. —

Hae varietates forſan e copula cum *St. vernali* (n. 67.) ortae ſunt.

70. *St. agilis*, niger, nitidus; apice elytrorum ſubfuscescente; thorace, coleoptris diſtincte anguſtiore, ſeriebus dorſalibus 5 punctis.

*Long.* 2 — 2⅔ lin.

*Caput* ouatum, thorace duplo fere minus, nitidiſſimum, punctis quibusdam in angulis

baſeos

baſeos et 4 interocularibus diſtinctis impreſſum; antennis, capite duplo longioribus, palpisque concoloribus.

*Thorax* ſuborbiculatus, apicem verſus anguſtior; coleoptris minor, et quidem magis quam in ſpeciebus affinibus; conuexior etiam eſſe videtur; nitidiſſimus; 1, 3, 5 punctus.

*Coleoptra* quadrata, nitida; confertiſſime et diſtinctiſſime puncta, pilis griſescentibus tenuibus veſtita; nigricantia, apice fuscescente.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, nigrum, piloſellum.

*Pedes* nigro-fuſci.

Habitat?

E mea collectione, quae duo huius ſpeciei indiuidua poſſidet.

71. *St. nitens* M. p. 26.

Hic Staphylinus, cuius indiuiduum modo vnicum poſſideo, ſpeciei praecedenti valde affinis, forſan eius varietas eſt. — Forma capitis et thoracis, nec non eorum proportio, eadem eſt ac in illo; punctura differt, ſeriebus dorſalibus thoracis 4 punctis; coleoptra ſunt nigricantia, apice concolore; antennae et pedes paulo pallidiores, fusci.

*Varietas* capitis thoracisque colore fugaciſſimo griſescente forſan e copula cum *St. micante* (n. 69.) ortum ducit.

*St.*

*St. nitens* etiam cum ſpeciminibus minoribus varietatis intermediae inter *St. variantem* et *micantem* (de qua vide n. 73.) copula fertili ſe miſcere videtur; ſaltem mihi ſunt duo microptera, quae inter illos Staphylinos medium tenent: *Caput* eis maius eſt *St. variantis*, antennis et palpis fuscescentibus. — *Thorax*, capite paulo maior, ratione formae medium tenet inter thoraces *St. variantis* et *agilis*; anguſtior eſt quam in illo, paulo latior quam in hoc; 1, 3, 5 punctus. — *Coleoptra* quadrata, thorace vix paulo maiora, confertim et diſtincte puncta; pilis tenuibus griſescentibus veſtita; nitida, nigricantia, interdum ſubfuscescentia. — *Abdomen* coleoptris triplo longius, nigrum, piloſellum. — *Pedes* piceo-teſtacei.

*Staphylinus* alter, veriſimile varietas minor *St. nitentis*, hic eſt:

*Long.* 1¾ lin.

*Caput* orbiculatum, latitudine vix paulo longius, thorace minus, nigrum, nitidum; punctura praecedentium; antennis, capite duplo longioribus, palpisque fusco-rufis.

*Thorax* orbiculatus, apicem verſus paululum anguſtior, coleoptris paulo minor, niger, nitidus; 1, 3, 5 punctus.

Cole-

*Coleoptra* ſubquadrata, latitudine paulo longiora; nigra, nitida, puncta; pilis tenuibus, ſed rarioribus quam in *St. nitente*, veſtita.

*Abdomen*, coleoptris plus duplo longius, nigrum, ſubgriſeo-piloſellum, marginibus ſegmentorum rufeſcentibus.

*Pedes* piceo-rufi.

72. *St. fimetarius* M. p. 175.

Haec ſpecies differt a ſpeciebus affinibus, thorace ſubquadrato, cum latitudine paulo longior et lateribus haud rotundatus ſit; capite thoracis magnitudine vel perparum minore; pedibus teſtaceis.

*Caput* punctis interocularibus 4, rarius 3, intermedio maiore, impreſſum.

*Long.* 2 — 2¾ l.

*Species intermedia* inter *St. fimetarium* et *agilem*; *St.* niger, nitidus; coleoptris ſubaeneis; pedibus fuſcescentibus; thoracis ſeriebus dorſalibus 5 punctis.

*Long.* 2⅔ lin.

Statura gracilis *St. agilis* (n. 70.); thorace autem minus conuexo, elytris aeneſcentibus.

*Caput* ſuborbiculatum, latitudine vix paulo longius, thorace duplo minus; punctis baſeos quibusdam, et interocularibus quatuor, impreſſum; antennis, capite duplo longioribus, palpisque nigro-fuſcis.

*Thorax*

*Thorax* coleoptris minor, latitudine vix paulo longior; 1, 3, 5 punctus.

*Coleoptra* quadrata, ſubnigro-aenea; ſubtiliter puncta; pilis tenuiſſimis, nec confertiſſimis, griſescentibus veſtita.

*Abdomen* coleoptris triplo longius.

*Pedes* piceo-fusci, tarſis autem pallidioribus.

Huius ſpeciei intermediae indiuiduum vnicum, Norimbergae captum, Dom. *Sturm* mecum communicauit.

*Species* intermedia inter *St. fimetarium* et *micantem.*

*Long.* 2¼ — 2½ lin.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, nigrum, nitidum, punctura Staphylinorum praecedentium; antennis palpisque nigro-fuscis.

*Thorax* ſubquadratus, vix apicem verſus paulo anguſtatus, coleoptris paulo minor, niger, nitidus; 1, 3, 4 punctus.

*Coleoptra* ſubquadrata, latitudine vix paulo longiora, nitida, nigro-aenea, confertim puncta, pilis tenuibus veſtita.

*Abdomen* elytris plus duplo longius, nigrum, nitidulum, piloſellum.

*Pedes* piceo-ſeu fusco-teſtacei, capitibus femorum obſcurioribus.

Hic Staphylinus caput thoracem et colorem aenescentem elytrorum a *St. fimetario*

 habet.

habet. Pili elytrorum rariores ſunt quam in *St. micante*; crebriores quam in *St. ſimetario*; puncta elytrorum ſubtiliora quam in hoc, craſſiora autem quam in illo. Color pedum medium tenet inter colorem fuscum et testaceum.

*Varietates St. ſimetarii* ſunt etiam, *St. lucidus* (M. p. 21.) et *Staph. ſordidus* (M. p. 176).

73. *St. varians* M. p. 20. niger, nitidus; elytris viridi-aeneis; thorace ſeriebus dorſalibus 5 punctis; capite ſubouato.

*Long.* 2½ — 3 lin.

Differt a St. praecedente, capite ſubouato minore, thorace rotundiore, ſeriebus dorſalibus 5 punctis etc.

*Caput* ſubouatum, latitudine perpaulum longius; thorace minus; punctis vno alteroue in angulis baſeos, nec non 4 inter oculos, per paria oculo ſingulo approximatis, diſtinctis impreſſum; antennis et oris partibus nigris.

*Thorax* ſuborbiculatus, coleoptris minor; 1, 3, 5 punctus.

*Coleoptra* quadrata, ſubtiliter nec confertiſſime puncta; pilis tenuiſſimis veſtita, viridi-aenea.

*Scutellum* nigrum, punctum.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, ſubtiliſſime punctum, ſubpiloſellum.

*Pedes*

*Pedes* nigro-fusci.

Haec ſpecies cum quibusdam aliis ſe miſcere videtur, quo ſpecies ſpuriae oriuntur: *Staphylinus intermedius* inter *St. variantem* et *ſimetarium*; niger, nitidus; pedibus piceo-teſtaceis; elytris viridi-aeneis; thorace ſeriebus dorſalibus 5 punctis.

*Long.* $2\frac{1}{4}$ lin.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus; punctis quibusdam in angulis baſeos et 4 interocularibus diſtinctis impreſſum. Antennis, capite duplo longioribus, palpisque fuscis; articulo illarum primo rufo.

*Thorax* coleoptris minor, ſubquadratus, lateribus ſubrotundatis; apicem verſus vix paulo anguſtior; 1, 3, 5 punctus.

*Coleoptra* latitudine vix paulo longiora, ſubuiridiaenea, puncta, ſubpiloſella.

*Abdomen* vt in ſpecie praecedente.

*Pedes* fusco-teſtacei, femoribus poſticis fuscis.

Habitat Norimbergae — *Sturm.*

*Staphylinus intermedius* inter *St. variantem* et *micantem* (n. 69.).

*Long.* 2 — $2\frac{1}{2}$ lin.

*Caput* omnino *St. variantis*, niſi quod antennae et palpi ſubfuscescant, et illae baſi paulo pallidiores ſint.

*Thorax* omnino vt in *St. variante.*

*Coleoptra* ſubquadrata, latitudine paulo longiora, confertim puncta, pilis tenuiſſimis griſescentibus tecta, nitida, nigro - et interdum viridi-aenea; ratione puncturae et coloris coleoptris *St. variantis*, ratione veſtimenti autem illis *St. micantis* reſpondent, quamquam pili multo rariores ſunt.

*Abdomen* vt in *St. micante*, nec vero marginibus ſegmentorum ventralibus rufescentibus.

*Pedes* piceo - teſtacei; capitibus femorum, interdum etiam femoribus ipſis, fuscis.

*St. varians* etiam cum *St. atrato* (n. 74.) copula ſe iungere videtur, de qua ad n. 74.

*St. concinnus* M. p. 21. ſpecies eſt intermedia inter *St. variantem* et *ebeninum* (n. 41.).

74. *St. atratus* M. p. 21, nitidiſſimus niger; elytris aenescentibus; capite orbiculato; thorace ſeriebus dorſalibus 4 punctis.

*Long.* 3 — 3½ lin.

Statura craſſior quam *St. varians* (n. 73.).

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, nigro-aeneum; punctis 4 — 6 diſtinctioribus in angulis baſeos, et 4 interocularibus, impreſſum; antennis, capite duplo longioribus, palpisque nigris.

*Thorax*

*Thorax* orbiculatus, apicem verſus paulu-lum anguſtior, coleoptris paulo minor, ni-gro-aeneus, diſtincte 2, 3, 4 punctus.

*Coleoptra* quadrata, puncta, pilis tenuiſſi-mis veſtita, nigro-ſubuiridi-aenea.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, ſubpi-loſellum.

*Pedes* nigri, tarſis fuscescentibus.

*Species intermediae* inter hunc et Staph. prae-cedentem longitudine et ſtatura ſunt inter-media, capite ſuborbiculato, minore quam in *St. atrato*, maiore quam in *St. variante*, ſe-riebus dorſalibus thoracis vel 4 vel 5 punctis; elytris magis minusue viridi-aeneis.

*Species intermediae* inter *St. atratum* et *opa-cum* iam ſub n. 35. deſcriptae ſunt.

*St. atratus* et eius varietates intermediae occurrunt paſſim in Germania et Gallia.

75. *St. punctus* M. p. 20.

76. *St. politus* M. p. 17.

*St. politus Linn.* Fn. Suec. n. 843. non ſo-lum ad *St. politum* verum ſed etiam ad *St. atratum*, forſan etiam ad *St. cyanipennem* (n. 78.) referri poteſt; quod etiam de *St. po-lito* auctorum aliorum valet.

77. *St. decorus* M. p. 19. variat abdomine colo-ribus obſcuro-metallicis aenescente, vt *St. triſtis* (n. 11.) et *ruficornis* (n. 12.).

78. *St. cyanipennis* M. p. 168.

Patria varietatis huius Staphylini, capite maiore, quam e collectione *Knochiana* deſcripſi, America ſeptentrionalis eſt.

Altera varietas, capite minore, reliquis characteribus autem cum illa prorſum congruens, habitat Pariſiis et prope Fontainebleau, et eſt verus

*St. cyanipennis Fabr.* Ent. S. St. n. 29.

*St. amoenus* Ol. Ent. St. n. 32. t. IV. f. 36.

79. *St. metallicus* M. p. 168.

*Varietas* nigra nitidula; capite autem, thorace elytrisque nitidiſſimis obſcuro - viridi - aeneis. *Staphylinus* habitu et partium forma ac proportione, nec non ſtatura et magnitudine omnino *St. metallici*, capite autem ſuborbiculato, elytris nigro-aeneis, huius varietas eſt. — Habitat Pariſiis — *Latreille.*

80. *St. aeneus* M. p. 17.

*Variat* pedibus antennisque nigris et, quamvis rariſſime et vnico tantum indiuiduo e collectione *Latreilleana*, rufo-fuscis.

Specimina quaedam ſunt in eadem collectione, tarſis anticis gracilioribus, capite minore, punctis ſubtilioribus, quae medium tenent inter *St. aeneum* et *politum*, atque gradatim in hunc et in illum transeunt.

81. *St. laminatus* M. p. 16.

*Species*

*Species intermedia* inter *St. laminatum* et *aeneum:* St. niger, nitidus; capite thoraceque nigro-viridanis; elytris aeneis; thoracis ſeriebus dorſalibus ſub 4 punctis.

*Long.* 3½ lin.

Colorem et glabritiem thoracis capitisque a *St. laminato* habet; colorem elytrorum a *St. aeneo.* Thorax neque impunctus eſt, vt in illo, neque ſeriebus dorſalibus diſtincte 4 punctis impreſſus, vt in hoc; ſed ſerierum dorſalium vna e punctis tribus, altera e punctis quatuor, quorum vnum fere euaneſcit, compoſita eſt; ſeries laterales bipunctae ſunt, et margini punctum vnum eſt impreſſum.

*Staphylinus* alter *intermedius* inter *St. laminatum* et *aeneum*, long. 3½ lin., colore quidem et deficientibus thoracis ſeriebus punctorum dorſalibus omnino cum *St. laminato* congruit; differt autem ab eodem, thoracis puncto marginali vno et ſeriebus lateralibus tripunctis.

Has duas varietates ego ipſe prope a Pariſiis prehendi.

*Varietates St. laminati*, thorace punctis quibusdam vagis impreſſo, etiam Pariſiis habitant.

*Varietas*, elytris ſubcoeruleo-aeneis, in Boruſſia obuenit — *Hellwig.*

82. *St. ſplendens* M. p. 16.

*St.*

*St.* huic ſimilis, ſtatura autem paulo graciliore; long. 5 lin. niger, nitidus, thorace leuiſſimo; habitat in Boruſſia — *Hellwig.*

*Varietates* etiam exſtant intermediae inter *St. ſplendentem* et *laminatum.*

83. *St. vagepunctus* nitidus, nigricans, leuis, coleoptrorum disco vage puncto.

*Long.* 5 lin.

*Habitu* et partium forma atque proportione medium quodammodo tenet inter familiam I. et III.; deficientibus autem punctis crebris capitis thoracis elytrorumque, quae omnibus familiae III. Staphylinis propria ſunt, potius eum ad fam. I. delego.

*Caput* orbiculatum, thoracis magnitudine, nitidum, leue, punctis tantum paucis in baſeos angulis impreſſum; antennis capitis longitudine.

*Thorax* conuexus, quadratus, angulis obtuſis, coleoptris breuior et anguſtior, nitidus, leuis, puncto vno laterali diſtincto impreſſus.

*Coleoptra* quadrata, nitida, depilia; excepto margine apicali, ſetis rigidis fimbriato; leuia, margine laterali confertim puncto, disco vage puncto; nigricantia, margine ſummo laterali rufescente.

*Abdomen* nigrum, ano fuscescente.

*Pedes* fuscescentes.

Habi-

Habitat? — e collectione *Brongniartiana.*

*Varietas* coleoptris fuscescentibus; margine laterali pallidiore; pedibus ſegmentorumque marginibus fuscis.

E collectione *Latreilleana.*

84. *St. cinctulus* M. p. 167.

85. *St. dilatatus*, antennis ſerratis.

*Long.* 9 lin.

Habitu omnino Staphylinorum huius familiae, ſed peculiari modo ab omnibus differt.

*Caput* orbiculatum, thorace minus, nigrum; antennis, longitudine capitis, ſerratis; articulo vltimo ouato (haud obtuſo), apice rufescente.

*Thorax* coleoptrorum magnitudine, dilatatus (vt thorax *St. nitidi* n. 5.); niger, marginibus lateralibus ſubeleuatis, ſubuiridi-aenescentibus; 3, 3, 2 punctus; canalicula marginali deficiente vel, ſi mauis, in puncta ſubtilia decedente.

*Elytra* ſubtiliter puncta, nigra, ſubpiloſella, puncto humerali teſtaceo, margine ſuturali fuſcescente.

*Abdomen* ſubpiloſellum.

*Pedes* tarſis anticis dilatatis.

Habitat Pariſiis et Dresdae.

*St. dilatatus Fbr.* E. S. St. n. 12.

— —— *Payk.* Fn. Suec. St. n. 29.

* *

86. *St. ſtenoides*, nitidus; oculis magnis proſilientibus.

*Long.* fere 6 lin.

Habitu ab omnibus Staphylinis mihi notis differt; cum autem thorax latitudine haud longior et ſeriebus punctorum dorſalibus impreſſus ſit, eum, quaſi appendicem, familiae I. adiungo.

*Caput*, forma tota capitis *Stenorum*, orbiculatum et, oculis magnis globoſis, fere transverſum, thorace latius; punctum, viridi-ſubcupreo-aeneum, ſubtus nigrum; clypeo, labro et primo antennarum articulo (reliqui articuli deſunt) teſtaceis; mandibulis falcatis, longis, acutis, nigris; maxillis nigris, apice rufo-teſtaceis; palpis longis, gracilibus, filiformibus; articulis duobus vltimis, aequali longitudine et craſſitie, haud clâuatis; articulis omnibus nigris, ſummo apice rufo-teſtaceo.

*Thorax* conuexus, quadratus, baſi rotundatus et paulo anguſtior quam apice, coleoptris anguſtior et breuior; nitidus, viridi-aeneus, in angulis apicis multipunctus, ſeriebus dorſalibus ſexpunctis et praeterea punctis quibusdam vagis maioribus impreſſus.

*Scutellum* pallide viridi-ſericans.

*Cole-*

*Coleoptra* quadrata; elytris planiuſculis, punctis, viridi-cupreo-aenescentibus, macula magna diſci pallida viridi-ſericante.

*Abdomen* nigrum; pectore ſub-flauo-ſericante; ſegmentorum marginibus teſtaceis.

*Pedes* graciliores quam reliquis Staphylinis; capitibus femorum nigris; femoribus anterioribus teſtaceis, margine ſuperiore nigro, poſticis teſtaceis, geniculis nigris; tibiis anterioribus teſtaceis, margine ſuperiore nigro, poſticis teſtaceis, apice nigro; tarſis obſcuris, anticis foſſoriis.

Habitat Iauae — *Boſc.*

87. *St. fulgens*, nitidus, cyaneus.

*Long.* 7½ lin.

Habitu peculiari. Species, quae mihi locum aptiſſimum inter familiam I. et II. obtinere videtur.

*Caput*, collo anguſto cum thorace cohaerens, ouatum, thoracis magnitudine; ſubtus laeuiſſimum nitidiſſimum; ſupra ſetis tenuibus veſtitum, punctum, punctis confertis diſtinctiſſimis; oculis paruis orbiculatis; mandibulis validis, exſertis, in medio dentibus duobus armatis; articulis palporum validis breuibus. Antennae deſunt (Antennae primo articulo longiſſimo cyaneo, vltimis breuibus nigris — *Fabr.* loco citato).

*Thorax*

*Thorax* coleoptris anguſtior et paulo brevior, conuexus, ouatus, apicem verſus valde attenuatus, nitidus, punctis vagis ſubtilibus impreſſus, marginibus lateralibus baſin verſus ſubeleuatis.

*Coleoptra* rectangula, nitida, puncta, punctis haud confertiſſimis; piloſella, pilis ſingulis e puncto ſingulo nascentibus.

Habitat Cayennae — *Boſc.*

*St. fulgens Fabr.* E. S. St. n. 13.

*St. violaceus Olivier* Ent. St. n. 3. tab. I. f. 8.

## Familia II.

Comprehendit Staphylinos familiae IV. M. p. 40.

Habitu ſunt graciliore; capite, thorace coleoptrisque, ratione proportionis, longioribus quam in familia I.; antennarum articulus vltimus ſemper ouato-acutus eſt, qui quidem etiam in nonnullis minoribus familiae praecedentis ſpeciebus ouatus eſſe videtur, nunquam autem acuto-ouatus — Reliqua, quae hic adhuc monere poſſem, ſupra, vbi generaliter de Staphylinis locutus ſum, iam dixi.

88. *St. denigrator* niger, nitidus, pedibus piceis, thorace ſeriebus dorſalibus 4 punctis.

*Long.* 2¼ lin.

*Caput* ouatum, thorace minus, lineolis et foueolis (quae in ſpecie ſequente deſcribuntur)

tur) deficientibus, punctis ſubtilibus quibusdam pone oculos et 4 inter oculos impreſſum; antennis fuscis, capite paulo longioribus.

*Thorax* latitudine longior, ſubouatus, apicem verſus paulo anguſtatus, coleoptris paulo anguſtior; 2, 4, 4 punctus.

*Coleoptra* quadrata, puncta, piloſella.

*Abdomen* coleoptris quadruplo longius.

*Pedes* picei, femoribus paulo pallidioribus.

Habitat Brunſuigae — *Dahl.*

*St. denigrator* — *Knoch.*

89. *St. ſplendidulus* M. p. 41.

*Caput* latitudine longius, apicem verſus paululum anguſtius, thoracis magnitudine, lateribus punctum; foueolis duabus longitudinalibus ante antennas, praetereaque lineola, a margine inferiore oculorum (i. e. margo, qui os verſus ſpectat) ſuboblique aſcendente, impreſſum.

*Thorax* coleoptris paululum anguſtior et breuior, oblongus, vix baſin verſus paululum anguſtior.

*Coleoptra* rectangula.

Haec addenda ſunt ad deſcriptionem huius Staphylini in M. p. 41.

A ſpeciebus reliquis paruis huius familiae haec ſpecies, foueolis atque lineolis frontalibus,

libus, a *St. lineari* (n. 94.) punctura thoracis differt et bene diſtinguenda eſt.

90. *St. nigritulus* M. p. 41.

*Caput* thorace paulo minus, ſubouatum, latitudine paulo longius; punctis paucis in angulis baſeos, veſtigiisque obſoletiſſimis linearum et foueolarum frontalium (vide n. 87.). impreſſus; antennis capitis thoracisque longitudine.

*Thorax* ſubouatus, latitudine paulo longior, apicem et baſin verſus paululum anguſtior, coleoptris breuior et anguſtior; ſeriebus dorſalibus 5 et 6 punctis.

*Elytra* latitudine duplo longiora, puncta, ſubpiloſella.

Differt a *St.* praecedente et *lineari* fronte leui; a *St. procerulo* (n. 92.) punctura thoracis et capite minore; a *St. paruulo* (n. 91.) colore, magnitudine, thoracisque forma.

*St. aterrimus* M. p. 41. a *St. nigritulo* non niſi capite paulo maiore, magnitudine nempe thoracis; colore antennarum pedum et palporum paulo obſcuriore, differt; quapropter hunc *St. aterrimum* cum illo reiungo.

*Varietatem* huius Staphylini fuscam; baſi antennarum, palpis, ano, pedibusque pallidioribus; capite atro; Dom. *Sturm* mecum communicauit.

91.

91. *St. paruulus* M. p. 42.

Praeter colorem, magnitudine etiam maiore, longitudine ſcilicet 2 lin., et forma thoracis, apicem verſus haud anguſtioris, a St. praecedente differt; reliquis autem characteribus cum eo congruit.

*Specimina* etiam ſunt *intermedia*, quae, characteribus diſtinctiuis, medium tenent inter *St. paruulum* et *nigritulum*.

*Staphylinus alter*, coleoptris totis nigris, reliquis partibus autem *St. paruulo* prorſum ſimilis, varietas eius eſſe videtur. — Captus eſt Norimbergae — *Sturm.*

Verum *Staph. paruulum* Dom. *Sturm* mecum communicauit ſub nomine *St. bicolor Fabr.* Ent. S. St. n. 47.; et forſan eadem ſpecies eſt.

92. *St. procerulus* niger, nitidus, pedibus elytrisque picescentibus; thorace multipuncto.

*Long.* 1⅓ lin.

*Caput* ſubquadratum, angulis obtuſis, thorace vix paulo latius ſed eius longitudine; multipunctum, medio leuiſſimum, veſtigiis obſoletis linearum et foueolarum frontis; antennis, capite duplo longioribus, palpisque fuscis.

*Thorax* ſubquadratus, latitudine paulo longior; coleoptris paulo anguſtior et breuior; late-

lateribus multipunctus, punctis vero haud confertis.

*Elytra* latitudine duplo longiora, ſubpiloſella, puncta; fuscescentia, apicem verſus ſenſim pallidiora.

*Abdomen* nigrum, ſegmentorum 2 vltimorum marginibus piceo-fuscescentibus.

*Pedes* piceo-teſtacei.

Habitat Brunſuigae.

Differt a *St. ſplendidulo* (n. 87.) et *lineari* (n. 94.) fronte leui; a reliquis paruis coſpeciebus affinibus capite maiore et punctura thoracis.

93. *St. nanus* niger, nitidus; palpis, antennarum baſi, pedibus et ano rufo-teſtaceis; thorace ſeriebus dorſalibus 5 punctis; capite ſubouato.

*Longitudo* et *ſtatura Staph. paruuli* (n. 91.) capite autem minore.

*Caput* ſubouatum, thorace paulo minus; antennis fuscis, baſi rufis.

*Thorax* latitudine paulo longius, ſubrectangulus.

*Coleoptra* latitudine paululum longiora, depilia, obſcuro picescentia.

*Abdomen* nigrum; marginibus ſegmentorum, praecipue vltimorum, rufescentibus.

*Pedes* rufescentes, capitibus femorum obſcurioribus.

E collectione *Hellwigiana.*

94. *St. linearis* M. p. 43.

95. *St. ochraceus* M. p. 43. nitidus; thorace lateribus multipuncto, ſeriebus dorſalibus 12 — 16 punctis.

*Long.* $2\frac{1}{2}$ — 3 lin.

Hic Staphylinus a *St. elongato* (n. 98.) differt ſtatura graciliore et proceriore, nec non punctura crebriore et multo ſubtiliore.

*Caput* elongatum, apicem verſus ſenſim anguſtatum, ſubtiliſſime punctum, nec vero confertiſſime.

*Thorax* coleoptris paulo minor, baſin verſus vix paulo anguſtior; lateribus punctis ſubtiliſſimis multis inordinatis impreſſus, quorum attamen nonnulla interdum iam in arcum diſtinctum litui diſpoſita apparent.

*Coleoptra* rectangula, puncta, pilis rarioribus et perbreuibus veſtita.

*Abdomen* coleoptris triplo vel quadruplo longius; quo contracto ſtatura craſſior eſſe videtur.

*Color* variat:

1. niger; antennis, palpis, coleoptris pedibusque fuscis;

2. niger; antennis, palpis pedibusque rufescentibus;

 3. ab-

3. abdomine et thorace fuscis; capite atro; coleoptris picescentibus; pedibus palpis antennarumque baſi rufescentibus.

*Staph. linearis* Fbr. El. St. n. 51.

*St. longiceps* M. 177. huius ſpeciei varietas eſt, nam inter ſpecimina plura, quae Pariſiis vidi, quaedam in hunc Staphylinum, ſeu *St. ochraceum* thorace numeroſiſſime puncto, quaedam in *St. ochraceum* punctis thoracis paucioribus tranſibant.

De ſpeciminibus intermediis inter *St. ochraceum* et *elongatum* vide n. 98.

96. *St. punctulatus* M. p. 177.

97. *St. emmeſus* M. p. 176.

98. *St. elongatus* M. p. 45. nitidus, ater; elytris puncto-ſtriatis; thorace ſeriebus dorſalibus 5–7, lateralibus 6–8 punctis, lituiformibus.

*Long.* $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{3}$ lin.

Statura craſſiore, nec non punctura rariore ſed craſſiore a *St. ochraceo* ſatis differt.

*Caput* forma et proportione omnino vt in *St. elegante* (n. 104.); punctis autem craſſioribus, diſtincte paululum in longitudinem extenſis, impreſſum.

*Thorax* coleoptris paulo minor, oblongus, haud baſin verſus anguſtatus; ſeriebus dorſalibus 5 — 7 punctis, lateralibus apice incurvis lituiformibus, 6 — 8 punctis; praeterea, in

in angulis apicis, ſeries punctorum 5 — 6 ſubtiliorum, ſubarcuata, ſeriei dorſali adnexa, quodammodo cum hac lituum maiorem, minus autem curuatum, format.

*Coleoptra* rectangula, puncto-ſtriata; ſtriis 12.

*Abdomen* coleoptris triplo longius.

*St. punctulatus Payk.* Fn. Suec. St. n. 17.
— — *Fabr.* Ent. S. St. n. 45.

De omnibus varietatibus *St. elongati*, quarum (M. p. 45.) mentionem feci, ſola varietas 5 verus eſt *St. elongatus*, et reliquis frequentior occurrit.

*Specimina intermedia* inter hunc et *St. ochraceum* colore ſunt pallidiore, ſtatura et punctura intermedia, punctis pluribus et ſubtilioribus quam in *St. elongato*, paucioribus et craſſioribus quam in *St. ochraceo.* — Huc pertinent var. 1 — 4 in M. p. 45. Haec ſpecimina intermedia Dom. Prof. *Knoch St. ochraceus* nominauit; verum autem *St. ochraceum* meum *St. batychrus.*

*Staphylinus* quidam, cuius indiuiduum vnicum e Gallia retuli, *St. elongato*, forma, proportione, et punctura tam capitis quam thoracis et elytrorum omnino ſimilis eſt; longitudine autem tantummodo $1\frac{2}{3}$ lin. niger, nitidus; elytris nigro-piceis, in angulo apicis ex-

terno ſubpallidioribus; antennis fusco-rufis; pedibus rufo-teſtaceis.

99. *St. glaber* M. p. 46. niger, nitidus; elytris rufo-teſtaceis; thorace ſeriebus dorſalibus 8 punctis.

*Caput* forma et proportione vt in ſpecie praecedente, nigerrimum, nitidiſſimum, punctis perpaucis vagis, multo rarioribus quam in *St. elongato* et *St. elegante* (n. 104.) impreſſum.

*Thorax* forma et proportione vt in St. praecedente, nigerrimus, nitidiſſimus, 3, 5, 8 punctus; ſerie marginali et laterali ſe appropinquantibus apice.

*Coleoptra* rectangula, nitidiſſima, pilis perpaucis et perbreuibus veſtita; rufo-teſtacea; lateribus ſubpuncto-ſtriata, punctis autem fere obſoletis.

*Abdomen* nigrum, nitidum, coleoptris plus triplo longius.

*Pedes* fusci.

*Variat* hic Staphylinus punctura.

1) Serierum thoracis dorſalium punctis hic vel illic confluentibus; ſeriebus lateralibus euaneſcentibus; elytris punctis.

2) Thoracis ſeriebus dorſalibus 9—10 punctis; lateralibus et marginalibus ſaepe interruptis, diſtincte attamen in lituum coniunctis; elytris vix punctis quibusdam impreſſis.

100.

100. *St. glabratus* M. p. 178.

101. *St. lentus* niger, nitidus, coleoptris pedibusque rufis; capite quadrato.

*Long.* 3 lin.

*Caput* quadratum, maius quam in ſpeciebus praecedentibus, thoracis circiter magnitudine, nigerrimum, nitidiſſimum; punctum, nec vero confertiſſime, punctis lateralibus in ſeries obſoletas ſubdispoſitis. Antennis palpisque rufo-fuscescentibus.

*Thorax* coleoptris paulo minor, baſin verſus ſubanguſtatus, ita vero, vt, ſuperne viſus, medio paulo impreſſus appareat; nigerrimus nitidiſſimus; 3, 5, 7 punctus, punctis autem minutis ſubobſoletis, ſerie attamen laterali cum ſerie marginali in lituum ſubconiuncta.

*Coleoptra* nitida, rectangula, ſubpiloſella, diſtincte puncta, teſtacea.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, nigerrimum, nitidum.

*Pedes* rufi.

Huius ſpeciei indiuiduum vnicum tantummodo in mea collectione exſtat.

102. *St. relucens* nitidiſſimus, nigerrimus; antennis tarſisque fuscis; elytris pallido-caſtaneis; thorace ſeriebus dorſalibus 6 — 9 punctis.

*Long.* 5 lin.

Habitu

Habitu partiumque forma et proportione *St. glabri* (n. 99); punctis autem paucioribus capitis et elytrorum, pedibus obſcurioribus, et magnitudine diſſert.

*Caput* nigrum; labro et palpis rufis; antennis fuscis opacis, articulis 3 primis nitidis.

*Thoracis* ſerierum dorſalium vna interdum 6-altera 9-puncta; ſeriebus lateralibus 5–6 punctis; ſeriebus marginalibus valde variantibus.

*Coleoptra* puncta, punctis in ſeries ſubdispoſitis.

*Pedes* nigri vel obſcuro-fuſci, tarſis pallidioribus.

Habitat Pariſiis — *Boſc.*

103. *St. pyropterus* nitidiſſimus, niger; coleoptris rufis; thorace ſeriebus dorſalibus deficientibus, lateralibus crenato-ſtriatis.

*Long.* 4 lin.

Habitu ſpecierum praecedentium.

*Caput* ſubquadratum, latitudine paulo longius; punctum, punctis craſſis, confluentibus, in ſeries ſubdispoſitis; nigerrimum; palpis rufescentibus; antennis, longitudine capitis, fuscescentibus, opacis, articulis tribus primis, quorum primus longus eſt, nigris nitidis.

*Thorax* baſin verſus anguſtior; ſerie laterali crenato-ſulcata, arcuata, diſtincta; ſerierum dorſalium veſtigia ſolummodo, puncta ſcili-

ſcilicet duo confluentia diſtincta, ad apicem thoracis impreſſa ſunt.

*Elytra* rufo-teſtacea, leuia; bipuncto-ſtriata, punctis ſubtilibus.

*Pedes* tarſis anticis tenuibus.

Habitat Pariſiis — *Boſc. Latreille.*

104. *St. elegans* M. p. 46. nitidus; thorace baſin verſus ſenſim anguſtato, ſeriebus dorſalibus et lateralibus multipunctis; coleoptris punctis pedibusque teſtaceis.

*Caput* ſubtiliter nec vero confertiſſime punctum, medio leuiſſimum; foueolis et lineis (ſub n. 87. deſcriptis) diſtinctiſſimis impreſſum.

*Thorax* nitidiſſimus; ſeriebus dorſalibus 8 — 12, lateralibus 8 — 10 punctis, praetereaque punctis pluribus inter ſeriem lateralem et marginem, interdum etiam quibusdam inter ſeriem dorſalem et lateralem diſſeminatis, impreſſus. Haec puncta omnia, craſſitie aequali, illis in capite ſimilia ſunt.

*Coleoptra* ſubquadrata, nitida, piloſella, puncta, nec vero puncto-ſtriata.

*Abdomen* coleoptris quadruplo longius, ſubtiliſſime punctum, piloſellum.

*Color* huius ſpeciei in elytris et pedibus ſemper rufo-teſtaceus eſt, in reliquis partibus autem variat:

1) Ca-

1) Capite nigerrimo, antennis palpisque fuscis; thoracis apice rufo, baſi nigricante; abdomine nigricante, ſegmentorum marginibus ventralibus rufis.

*St. tricolor Payk.* Mon. St. n. 15.

2) Capite et thorace obſcuro-rufo-fuscescentibus; abdominis dorſo fusco, ventre rufo-teſtaceo.

*St. affinis Payk.* Mon. St. n. 16. v. 2. et 3.

3) Capite fusco, baſi rufescente; thorace rufo; abdominis dorſo fusco, ventre rufescente.

In quibusdam huius ſpeciei indiuiduis, quornm thorax nempe punctis paucioribus impreſſus eſt, ſeries laterales iam ſublituiformes euadunt.

Sub nomine *St. elegans Oliv.* in collectione *Boſciana Paederum caſtaneum* vidi; quapropter adhuc dubito, an *Staph. elegans* Oliv. ad hanc ſpeciem referri poſſit.

Habitat Pariſiis et Brunſuigae, vbi Dom. *Dahl* plura huius ſpeciei indiuidua legit.

105. *St. rufipennis* M. p. 40.

106. *St. fuluipennis* niger, nitidus; palpis, antennis, elytris, pedibusque rufis; capite thoceque multipunctis.

*Longitudo* et *habitus St. elegantis* (n. 104.), capite autem minore etc. differt.

Caput

*Caput* ouatum, thorace breuius, eius autem latitudine, nigrum, multipunctum; antennis, capite longioribus, palpisque ruſis.

*Thorax* multipunctus.

*Coleoptra* puncta, apice ſubpuncto-ſtriata; teſtaceo-rufa, baſi ſubobſcuriora.

*Pedes* rufo-teſtacei.

Habitat in Boruſſia — Hellwig.

107. *St. fulminans* M. p. 47., nitidus, thoracis punctorum ſeriebus dorſalibus deficientibus.

*Long.* $3\frac{1}{3}$ — 5 lin.

*Caput* ouatum, thoracis magnitudine; in angulis baſeos punctis numeroſis paruis, ſerie interoculari punctorum 4 valde exilium, et punctis 2 maioribus inter ſeriem illam et clypeum, impreſſum.

*Thorax* rectangulus, magnitudine coleoptrorum, punctis 2 minoribus angulos apicis verſus, vnoque maiore verſus angulos baſeos, impreſſus.

*Coleoptra* rectangula, pilis tenuibus rarioribus veſtita, punctis numeroſis, nec vero confertiſſimis, impreſſa.

*Color* variat:

1) Fuscus; antennis, palpis, thorace, coleoptris, ventre et pedibus rufescentibus.

2) Ni-

2) Niger; antennis, palpis, thoracis et coleoptrorum lateribus, marginibus ſegmentorum ventralibus, pedibusque rufescentibus.

3) Niger; abdomine obſcuro-fusco, ano rufo; limbo coleoptrorum, pedibus, antennis et palpis rufis.

4) Niger; antennis, palpis, puncto in angulo apicali thoracis; elytris, pedibusque rufis.

5) Niger; ore, antennis, pedibus et coleoptris teſtaceis; ſummis angulis baſeos capitis, ſegmentorumque marginibus, vel ventre toto, fusco-teſtaceis.

Varietates 1, 2 et 4 habitant Brunſuigae — *Dahl.*

Varietas 3 eſt *St. uſtulatus* M. p. 46.

Varietas 5 habitat Norimbergae — *Sturm.*

*St. fulgidus Payk.* Mon. St. n. 14. var. *β.*

*Paederus fuluipennis* Fabr. Ent. Syſt. P. n. 4.

—— —— *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 23? confer M. p. 44.

108. *St. fulgidus* M. p. 48.

*St. fulgidus* Fbr. Ent. S. St. n. 25. ſpecies alia eſſe videtur; ſtatura enim et magnitudine cum *St. polito* comparatur. Forſan varietas eſt *St. nitidi* aut *coenoſi.*

*Schaeffer* Inſ. Ratisb. Vol. I. t. 39. f. 12. confer *Panzer* ad Schaefferum.

Habitat etiam Pariſiis — *Latreille.*

109. *St. alternans* M. p. 48.

110. *St. palmula* M. p. 49.

111. *St. melanocephalus* nitidus; thorace punctorum ſeriebus dorſalibus nullis.

*Long.* 2 — $2\frac{2}{3}$ lin.

*Caput* ſuboblongum, thorace paulo breuius; punctis 2 magnis ante clypeum, 4 minoribus inter oculos impreſſum; nigerrimum, nitidum; oculis paruis; antennis capite longioribus; palpis ſubacuminatis, articulo vltimo graciliori quam penultimus, quo tranſitus e hac Staphylinorum familia ad Lathrobia oſtendi videtur.

*Thorax* oblongus, coleoptrorum magnitudine, nitidus; ſeriebus marginalibus 3 punctis; punctis 3 etiam lateralibus, quorum 2, ad apicem ſita, a tertio, baſi multo propiore quam apici, longe remota ſunt;

*Coleoptra* nitida, diſtincte puncta, pilis tenuiſſimis rarioribus veſtita.

*Abdomen* coleoptris triplo longius.

*Pedes* teſtacei.

*Color* variat:

1) Caput nigrum, antennis palpisque rufis. Thorax rufus, disco paulo obſcuriore. Coleoptra fusca, ſutura rufa. Abdomen nigricans, pectore et marginibus ſegmentorum ventralibus rufis.

2)

2) Corpus fuscum. Caput atrum. Antennae, palpi et thorax fusco-rufi. Venter et pectus teſtacei.

3) Nigricans. Caput atrum; antennis palpisque rufescentibus. Thorax et venter rufo-fusci. Elytra piceo-fusca. Pectus teſtaceum.

Omnes hae varietates habitant promiſcue ſub gramine in pratis et ad foſſarum ripas; Brunſuigae — *Dahl.*

*St. melanocephalus* — *Knoch.*

Primo intuitu hunc Staphylinum pro varietate *St. alternantis* habueram, ob thoracis puncturam, quae in hoc eadem eſt ac in illo; ſed capite minore nec quadrato et elytris diſtincte punctis ſatis ab illo differt. — Cum *St. fulminante* (n. 107.) autem, tam forma et proportione quam punctura partium, adeo congruit, vt, ratione non habita coloris pervariabilis, non niſi paruitate ab eo discrepet.

* *

112. *St. planatus* planus, ſubopacus, niger; pedibus antennisque rufescentibus; coleoptris apice dilucido-teſtaceis.

*Long.* $1\frac{1}{4}$ lin.

*Caput* quadratum, angulis obtuſis, planum, ſubtiliter punctum; thoracis latitudine, opacum, nigrum; antennis, capite longioribus, extror-

extrorſum ſubcraſſioribus, fuscescentibus, baſi rufis; palpis rufis.

*Thorax* ſuborbiculatus, vix latitudine paulo longior, et baſin verſus ſubanguſtatus, coleoptris paululum minor, ſubtiliter punctus, niger, disco depreſſo.

*Coleoptra* rectangula, thorace paulo longiora, nitidula, ſubtiliter puncta, baſi nigra, apice dilucido teſtacea.

*Pedes* rufi.

Habitat in Boruſſia — *Hellwig.*

Familia III.

Comprehendit plurimas ſpecies familiae II. Stapylinorum M. p. 3., exceptis nempe illis, quarum corpus vel ſammetino-nebuloſum vel villoſum eſt.

Staphylini huius familiae, quae, cum familia ſequente et familia quinta, maxima huius generis microptera continet, thorace quadrato, confertim et confuſe puncto, a fam. I. differunt, cuius ſpecies thoracem habent vel leuiſſimum, i. e. ſine vlla impreſſione, vel punctis ſolummodo perpaucis, plerumque in ſeries diſtributis, impreſſum. Praeterea Staphylini huius familiae ſtatura ſunt magis lineari, nitore minus ſplendido, quam illi familiae primae. — Cum Staphylinis familiae ſecundae haud confundi poſſunt,

ſunt, licet paucis thorax latitudine paulo longior ſit (e. g. *St. caſtanoptero*); nitore, punctura, antennarumque articuli vltimi forma ſemper diſtinguuntur.

113. *St. tricolor.* M. p. 7.

In collectione *Boſciana* duos vidi Staphylinos, *St. tricolori* ſimiles, quorum vnus ſtatura tantum graciliore long. 6 lin. coleoptris ſubrectangulis, ſegmentorum penultimo et antepenultimo haud fimbriatis; alter autem pedibus fere nigris, tarſis et antennis fuſcis, elytris ſubcyanescentibus, ſe diſtinguebat; ambobus autem caput quidem thorace paulo minus, nec vero multo minus erat.

*St. erythropus Payk.* Fn. Succ. St. n. 7. huius ſpeciei varietas eſt "capite thorace elytrisque nigro-virescentibus, pedibus rufis." Paykull ipſe dicit. "Indiuiduum vnicum, huic ſimillimum, e Gallia mihi miſſum, vidi elytris obſcure coeruleis praeditum." In Gallia autem haec ſpecies frequentius occurrere videtur.

*St.! haemorrhoidalis Olivier* Ent. St. n. 7. tab. II. f. 20., et

— ——. *Fabr.* Eleuth. St. n. 33. huic valde ſimilis eſſe videtur, ſed patria eius Cayenna eſt.

114. *St. cyaneus* M. p. 6.

115. *St. violaceus* M. p. 162.

116.

116. *St. macrocephalus* M. p. 160.

117. *St. olens* M. p. 4.

118. *St. tomentoſus* M. p. 161.

119. *St. ſimilis* M. p. 5.

De ſynonymia huius micropteri multa mihi dubia orta ſunt.

*St. ſimilis Payk.* eſt *St. morio* (n. 121.) quia "capite et thorace politis" deſcribitur.

*St. ſimilis Olivier* eodem iure ad *St. morionem* relegatur.

*Geoffroy* dicit quidem de ſuo *St. ſimili*, n. 3., articulum vltimum antennarum ſubgloboſum, nec, vt in ſpeciebus praecedentibus (*St. olens* et *cyaneus*) lunulatum eſſe; fallacia autem optica deceptus eſt, altera enim poſitione, antennarum nempe latere anguſtiore (nam antennae omnium horum micropterorum compreſſiusculae ſunt) oculum verſus directo, articulus vltimus ouatus eſſe videtur; altera vero, latere nempe latiore antennarum oculum verſus directo, articulus vltimus lunatus ſe oſtendit. Certo autem Geoffroy *Staphyl. ſimilem* verum deſcripſit, dicit enim, inter alia, "elytris thorace brevioribus; capite thorace et elytris punctulatis; longitudine 6 linearum."

*Staphylinum Schaefferi* Inſ. Ratisb. Vol. I. t. 39. f. 12. Dom. *Panzer* pro *St. ſimili* habet.

*Staph.*

*Staph. ſimilis* verus autem ſtatura eſt maiore, thorace latiore; credo ergo, Dom. *Schaeffer*, tabula et figura citata, *St. morionem* exhibuiſſe.

In omnibus collectionibus Entomologorum Pariſienſium *St. morionem* ſub nomine *St. ſimilis*, nunquam autem verum *St. ſimilem*, vidi. — Hic ergo vbique multo rarior eſſe videtur quam ille, qui apud nos quidem rarior occurrit.

120. *St. ater* M. p. 161.

Species, huic Staphylino, qui Dom. Prof. *Knoch* ex America ſeptentrionali miſſus eſt, ſimillima, nec vllo charactere ab eo differens, habitat etiam Pariſiis — *Latreille* — et Norimbergae — *Sturm.*

121. *St. morio* M. p. 6.

Confer quae ſub n. 116. monui.

122. *St. baltimorenſis* M. p. 163.

123. *St. fuſcatus* M. p. 164 et

*St. craſſicollis* M. p. 7. in vnam ſpeciem redigendi ſunt.

124. *St. brunnipes* niger, opacus; capite thoraceque nitidis; antennis fuſcis, baſi et apice rufis; pedibus rufis.

*Long.* 5 lin.

*Statura* partiumque forma et proportione omnino *St. aeneocephali* (n. 126.); thorace forſan paulo conuexiore.

*Caput*

*Caput* orbiculatum, thorace minus, ſed eius latitudine, nitidum, aeneum, punctum, linea media longitudinali leui obſoleta; palpis antennarumque articulis 2 vltimis et primo rufis.

*Thorax* quadratus, angulis obtuſis; aeneus, nitidus, punctus, linea media longitudinali leui obſoleta.

*Coleoptra* et *abdomen* opaca, nigra, tenuiſſime ſericantia; illa thorace breuiora, ſed eius latitudine, ſubtrausuerſa, punctis crebrioribus et ſubtilioribus impreſſa quam thorax.

*Pedes* rufi; capitibus femorum nigris.

Habitat Pariſiis.

*St. brunnipes Fabr.* Ent. S. St. n. 23.

— —— *Olivier* Ent. St. n. 11. tab. 1. f. 7.

125. *St. pedator* M. p. 163.

126. *St. aeneocephalus* M. p. 8.

*St. chalcocephalus Fbr.* Eleuth. St. n. 17.

*St. cupreus Roſſi* Fn. Etr. I. p. 243. St. 612. tab. 7. f. 13.

— —— *Olivier* St. n. 16. tab. 2. f. 16. varietas eſt quinta M. p. 8. Vidi hanc ſpeciem in ipſa collectione Olivieriana.

127. *St. cinnamopterus* M. p. 164.

128. *St. zonatus* M. p. 162.

129. *St. latebricola* aeneo-nigricans; elytris pedibusque rufis.

*Long.* 4 — 5¾ lin.

H *Habi-*

*Habitu*, longitudine, atque partium forma et proportione omnino St. ſequentis; colore autem ſatis differt.

*Caput* nigricans, ſub-cupreo-nitidum, pilis confertis ſubtilibus teſtaceo-flauescentibus ſericans; linea longitudinali media obſoleta leui; clypeo teſtaceo; palpis vel rufis vel nigricantibus.

*Thorax*, colore et veſtimento capitis, linea media longitudinali, leuiſſima, nitidiſſima, ante ſcutellum latiore.

*Coleoptra* rufa, pilis breuibus pallidioribus veſtita.

*Scutellum* nigro-ſammetinum.

*Abdomen* nigrum, baſi ſegmentorum plerumque pilis breuiſſimis flauo-griſeo-ſericantibus veſtitum, qui interdum cum interuallis nudis alternant et ſeriem triplicem macularum ſericantium dorſalium abdominis formant. Pectore nigro, pilis tenuibus flauo-griſeis veſtito.

*Pedes* capitibus femorum cum femoribus magis minusue nigricantibus, apice rufescentibus; tibiis rufis; tarſis plerumque paulo obſcurioribus.

Habitat Brunſuigae, lectus ſaepius in ſyluis, in aceruis formicarum rufarum — *Dahl.* —

Occur-

Occurrit etiam in Boruſſia, vnde Dom. *Kugelann* hanc ſpeciem Dom. Prof. *Hellwigio* miſit.

130. *St. ſtercorarius* M. p. 11.

*Variat* antennis vel rufis, vel fuscis baſi interdum pallidiore; maculis ſegmentorum ſericeis vel diſtinctis vel obſoletis, vel prorſum euanescentibus.

Habitat Pariſiis, Brunſuigae, Göttingae.

131. *St. lutarius* niger; abdomine ſericeo-maculato; capite et thorace aeneis; palpis, antennis, elytris, tibiis, tarſisque teſtaceo-rufis.

*Habitu* partiumque forma proportione et punctura St. praecedentis; ſtatura autem maiore (qua etiam a *St. latebricola* n. 129. differt), capite thoraceque orichalceo-nitidis, ſubflauo-ſericantibus; femoribus et antennarum articulo primo obſcurioribus.

*Long.* 7 — 8 lin.

*Corpus* ſubpiloſellum.

*Caput* thorace minus, apicem verſus paulo anguſtius, aeneum; mandibulis nigris; palpis rufis; antennis, capitis longitudine, rufescentibus, articulo primo nigricante.

*Abdomen* nigrum; dorſo maculis duabus ſegmentorum ſingulorum, ventre marginibus ſegmentorum pectoreque flauo-ſericantibus.

*Pedes* nigri; capitibus femorum et femoribus flauo-ſericantibus, geniculis rufescentibus; tarſis tibiisque teſtaceo-rufis.

Habitat? e collectione *Latreilleana.*

132. *St. caſtanopterus* M. p. 10.

*St. erythropterus De Geer* Mem. St. 8.

— —— *Fourcr.* Ent. Par. St. 9.

*Geoffr.* Hiſt. St. 9.

133. *St. erythropterus* M. p. 10.

*Variat* fronte, pectore et abdomine magis minusue flauo-ſericantibus.

*St. erythropterus De Geer, Fourcr.*, et *Geoffr.* St. n. 10. ad ſpeciem praecedentem redactus eſt.

134. *St. fodiens* niger, ſubopacus; thorace elytrorumque baſi obſcuro-caſtaneis; tibiis, tarſis et elytrorum apice rufo-teſtaceis.

*Habitu* Staph. ſequentis.

*Long.* 6 lin.

*Caput* orbiculatum, thorace breuius, nigrum; palpis ſubrufescentibus; antennis fuscis, articulis primis nigris ſummo apice rufescentibus.

*Thorax* latitudine paulo longior, ſubtiliter punctus, linea media longitudinali obſoleta.

*Scutellum* nigrum.

*Coleoptra* quadrata.

*Abdo-*

*Abdomen* nigrum, dorſo ſubſericante; puncto ſegmentorum ſingulorum flauo-ſericante.

Habitat in Carolina — *Boſc.*

135. *St. foſſator* M. p. 164.

136. *St. foſſor* M. p. 10. opacus, niger; capite et thorace ſubcupreo; elytris tibiis et tarſis ſubfuluo-ſericantibus.

*Caput* ſuborbiculatum, thoracis magnitudine, tomento tenui ſubcupreo-ſericante tectum. Oculis paruis. Antennis, capite vix paulo longioribus, orisque partibus nigris.

*Thorax* latitudine paulo longior, coleoptris paulo anguſtior, ſubcupreo-ſericans; linea longitudinali obſoleta.

*Scutellum* nigro-ſammetinum.

*Coleoptra* latitudine paulo longiora, tomento tenui cupreo- et fuluo-ſericante confertim tecta.

*Abdomen* coleoptris plus duplo longius, nigrum, piloſellum; ſegmentorum ſingulorum puncto dorſali fuluo-ſericante.

*Pedes* nigri, tarſis tibiisque fuluo-piloſellis; tarſis anticis foſſoriis.

Haec ſpecies europaea *St. fodienti* (n. 134.) ex America ſeptentrionali adeo ſimilis eſt, vt fere inuito me hanc ab illo ſeiungam.

* *

137. *St. cinerascens* M. p. 49.

De-

Deſcriptio huius Staphylini, cui, M. p. 49. locum vltimum in vltima (nunc ſecunda) Staphylinorum familia adſignaueram, ab indiuiduo vnico, iamiam laeſo, et chartae adglutinato, collectionis *Knochianae*, deſumta, nunc, indiuiduis pluribus huius ſpeciei lectis, accuratior dari poteſt.

Praemonendum eſt, hunc Staphylinum huic familiae tertiae adnumerandum eſſe. Licet enim paruitas eius a hac familia eum remouere videatur, attamen omnibus illis characteribus gaudet, qui familiam tertiam a reliquis familiis diſtinguunt. Forma antennarum, capitis et thoracis, nec non horum punctura omnino eaedem ſunt ac in reliquis huius familiae Staphylinis. Quo clarius autem hoc appareat, deſcriptionem eius hic addo accuratiorem:

*Long.* 2 lin.

*Caput* quadratum, magnitudine thoracis, nitidulum, confertim punctum, nigrum; oculis paruis; antennis, capite longioribus, fuſcis, baſi pallidioribus; palpis rufo-fuſcis.

*Thorax* quadratus, angulis obtuſis, coleoptris minor, nitidulus, punctus, medio leuis, punctis numeroſis ſed haud confertiſſimis; niger.

*Cole-*

*Coleoptra* latitudine paulo longiora, opaca, nigra, pilis tenuiſſimis griſescentibus veſtita; oculo ipſo armato plane ſine puncta eſſe videntur.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, nigrum, opacum, ſubpiloſellum.

*Pedes* fusco-picei.

Habitat Brunſuigae, lectus tempore verno, ſub gramine, ad ripas — *Dahl.*

Familia IV.

Staphylini huius familiae vel corpore toto vel plurimis eius partibus villis mollioribus aut tomento nebuloſo veſtiti ſunt. Thorax in ſpecie ſemper hoc veſtimento indutus eſſe ſolet, vel, veſtimento detrito, punctis ſubtiliſſimis et conſertiſſimis impreſſus apparet, quo haec familia ſemper a familiae ſequentis ſpeciebus differt, quibus thorax eſt leuiſſimus, punctis ſeu impreſſionibus paucis maioribus interdum notatus. Villi autem ſeu tomentum indole ſunt longe diuerſa a pilis illis, quibus elytra omnium fere Staphylinorum magis minusue tecta eſſe ſolent.

Praeter plures Staphylinos e familia II. M. p. 3., haec familia comprehendit etiam *St. hirtum* e familia I. M. p. 159.

133. *St. verſicolor* obſcurus, tomentoſus; flaueſcenti-vel viridescenti-nebuloſus; apicibus elytrorum ſubcyaneſcentibus.

*Long.*

*Long.* $7\frac{1}{2}$ — $8\frac{1}{2}$ lin.

Habitu St. ſequenti magis affinis eſt, quam vlli alii huius generis microptero; differt autem ſatis ab illo.

*Caput* orbiculatum, long. 2 lin., longitudine paululum latius, thorace maius, coleoptris minus; nigrum, ſubtus nigerrimum nitidiſſimum nudum, ſupra pilis denſis exiguis flauoſericantibus, paucisque ſingulis longioribus nigris, veſtitum. Oculis reniformibus, pallidis, maiusculis. Antennis, capite paulo longioribus, apicem verſus paulo craſſioribus; colore variabili: vel rufescentibus, articulis 6 vltimis obſcurioribus et griſescenti-ſericantibus; vel nigris, baſi articuli primi rufescente. Labro, margine anteriore pallidiore, in media apice rufo, teſtaceo ciliato. Reliquis inſtrumentis cibariis nigris.

*Thorax* quadratus, baſin verſus anguſtatus, angulis anticis acutis, coleoptris triplo minor; linea longitudinali obſoleta, ante ſcutellum diſtinctiore, eleuata, nitida; niger, maculis ſammetinis, viridi-flauis vel obſcuro-oliuaceis, nebuloſus.

*Scutellum* viridi-flauo- vel obſcuro-oliuaceo-ſammetinum.

*Coleoptra* quadrata, maculis ſammetinis viridi-flauis vel obſcuro-oliuaceis nebuloſa; hume-

humeris rufoteſtaceis; apice ſubcyanescenti-nitido.

*Abdomen* coleoptris duplo longius, illis autem anguſtius; nigrum, ſubtus argenteo-ſericeum, ſupra hirtulum, punctis 2 ante coleoptra teſtaceo-ſammetinis; ſegmento penultimo pilis tenuibus exiguis virescenti-ſericantibus denſe veſtito; ſegmento vltimo, ſeu áno, testaceo. Pectore nigro, pilis tenuiſſimis argenteo-ſericantibus veſtito.

*Pedes* ſubpiloſelli; femoribus anterioribus ſubargenteo-ſericantibus; anticis nigris, apice macula teſtacea magis minusue diſtincta; posterioribus teſtaceis, annulo medio nigro; capitibus femorum omnibus nigris; tibiis et tarſis vel nigris vel teſtaceis.

Habitat in Para, prouincia Braſiliae, in ſylvis humidis; captus in fructibus putrescentibus — *Sieber.*

*St. verſicolor* — in collectione *Helhvigio-Hoffmannseggiana.*

139. *St. nebuloſus* M. p. 13.

*De Geer* Mem. St. n. 1.

*Geoffr.* Hiſt. St. n. 6.

*St. teſſellatus Fourcr.* Ent. Par. St. n. 6.

140. *St. cingulatus* M. p. 166.

141. *St. chloropterus* M. p. 166.

*Fbr.* Eleuth. St. n. 5.

142. *St. murinus* M. p. 14.

*Linn.* Fn. Suec. n. 840.

143. *St. femoratus* obſcuro-nebuloſus; ano femoribusque anterioribus teſtaceo-ochraceis, his macula nigra notatis.

*Long.* 6 — 6½ lin.

Habitu inter *St. pubescentem* (n. 144.) et *murinum* (n. 142.) medium tenet; ſpecies autem diſtincta eſt capite haud orbiculato ſed ſubtriquetro, vel latitudine paulo longiore, apicem verſus anguſtato etc.

*Corpus* ſubaeneum vt *St. murino.*

*Caput* thorace minus, ſubtriquetrum, punctum; linea media longitudinali leui obſoleta; clypeo teſtaceo; mandibulis nigris; palporum articulis nigris, apice rufis; antennis capite paulo longioribus fuscis, articulis 2 primis rufis.

*Thorax* capitis colore atque punctura; linea media leui longitudinali; angulis anticis obtuſioribus quam in *St. murino*, paulo acutioribus quam in *St. pubescente.*

*Coleoptra* ſubgriſeo-nebuloſa, ſubquadrata.

*Abdomen* piloſellum, nigrum; dorſo ſubrufo-varium; ventre ſubſericans, ſubaeneo-nitens, ſegmento vltimo ochraceo; pectore ſubſericante.

*Pedes* nigricantes; femoribus ochraceis, lateribus, imprimis femorum poſticorum, nigris.

Habi-

Habitat in Carolina — *Boſc.*

*St. femoratus Fabr.* Eleuth. St. n. 24.

144. *St. pubescens* M. p. 12.

*St. pubescens* Paykulli, Olivieri, nec non *St. chryſocephalus* Fourcroyi et Geoffroyi St. 8., quos ſub *Staph. pubescente* M. p. 13. allegaui, haud ad hanc ſpeciem ſed ad aliam affinem, quae *St. chryſocephalus* (n. 146.) nominata eſt, pertinent.

145. *St. maculoſus* M. p. 165.

*Variat* 1) Capite thoraceque vnicoloribus, regione circa oculos rufescente — e collectione *Knochiana.* — 2) Capite aenescente, lineis 2 longitudinalibus et regione circa oculos rufescentibus; thorace aenescente, lineis 2 longitudinalibus interruptis, margine apicis et baſeos, nec non punctis 2 marginis lateralis rufescentibus magis minusue obſoletis. — Habitat in Carolina, — *Boſc.*

*Staphylinum* vidi, omnibus characteribus, nec non patria, cum *St. maculoſo* congruentem, longitudine autem modo 6 linearum; pedibus teſtaceis, capitibus femorum et macula femorum baſeos nigris; lineis capitis et thoracis rufis latioribus nec interruptis. — E collectione *Boſciana.*

*St. viduatus* Fabr. Eleuth. St. n. 7.

146. *St. chryſocephalus*, nigro fuſcoque nebuloſus; abdomine argenteo-ſericante; capite femorumque annulo ochraceis.

*Long.* 6 lin.

*Habitu* partiumque forma et proportione omnino *St. pubescentis* (n. 144.); ſemper autem ab eo differt.

*Caput* ochraceum, ſubflauo-ſericans, punctis 2 frontalibus oculisque nigris, mandibulis apice nigris; antennis fuscis, articulis 4 primis ochraceis; (punctis maioribus et linea media nitida, quae ſunt *St. pubescenti*, nullis).

*Thorax* opaco-niger, obſoleto rufo-punctatus, linea abbreuiata longitudinali nitida ad baſin.

*Coleoptra, abdomen, pectus* et *ſcutellum* vt in *St. pubescente.*

*Pedes* nitidi, nigri; annulo femorum ochraceo.

Habitat in Gallia.

*St. chryſocephalus Fourcr.* Ent. Par. St. n. 8.

*St. pubescens Payk.* Mon. St. n. 9.

— —— *Payk.* Fn. Suec. St. n. 13.

— —— *Olivier* Ent. St. n. 15. t. II. f. 15.

*Geoffr.* Hiſt. St. n. 8.

147. *St. Chryſis* capite, thorace, ſcutello et elytris holoſericeis; aureo-cupreus; capite flauo; thorace anterius, ſcutello, ſegmentorumque baſi nigris.

*Long.*

*Long.* 10 lin.

Habitu St. praecedentis; thorace autem rotundiore, angulis anticis deflexis vt in Staphylinis plurimis familiae I.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, ſubtus rufeſcens, ſupra pilis flauo-holoſericeis veſtitum; inter antennas nudum, pallide viridi-aeneſcens, ſubpunctum; clypeo teſtaceo; labro et maxillis rufo-fuſcis; mandibulis palpis et antennis fuſcis; his capite paulo longioribus, articulo primo paulo pallidiore; oculis perparuis.

*Thorax* orbiculatus, angulis anticis deflexis, coleoptris paulo minor, holoſericeus; parte anteriore violaceo-niger, poſteriore aureocupreus.

*Scutellum* violaceo-nigrum, holoſericeum.

*Coleoptra* quadrata, holoſericea, aureo-cuprea.

*Abdomen* nigro-aeneum; marginibus ſegmentorum rufis; pectore ſubflauo-ſericante.

*Pedes* rufi; tibiis tarſisque fuſceſcentibus.

Habitat in Bahia, Braſiliae prouincia — *Gomes.*

*St. chryſis* — in collectione *Hoffmannseggiana.*

148. *St. hirtus* M. p. 159.

*St. hirtus Fourc.* Ent. Par. St. n. 6.

— — *Geoffr.* Hiſt. St. n. 6.

FAMI-

## Familia V.

Comprehendit Staphylinos familiae I. M. p. 2., excepto *St. hirto.* — Forma thoracis, eiusque ſuperficies nuda, nitida, punctis paucis inordinatis impreſſa, praecipue ſpecies huius familiae a reliquis Staphylinis diſtinguunt.

149. *St. villoſus* M. p. 160.

150. *St. maxilloſus* M. p. 2.

Variat 1) Elytrorum fascia continua, abdominis dorſo et ventre albo-ſericantibus. 2) Elytrorum fascia interrupta, abdominis dorſo et ventre albidis. 3) Elytris totis nigris, abdominis dorſo ſubcinereo-maculato, ventre ſericante.

Varietatem totam nigram nondum vidi.

151. *St. oculatus* niger, nitidulus; capite infra et in angulis baſeos ſupra rufo.

*Long.* 7½ lin.

Partium forma et proportione St. praecedentis.

*Caput* thoracis magnitudine, longitudine paulo latius; nigrum, infra et in angulis baſeos rufum; clypeo teſtaceo; antennis, capitis longitudine, validis, extrorſum craſſioribus.

*Coleoptra* quadrata, ſubopaca, coriacea.

*Abdomen* opacum piloſellum.

Habitat in Noua Seelandia. — E collectione *Hellwigiana.*

St.

*St. oculatus Fabr.* Ent. S. St. n. 10.
— — *Olivier* Ent. St. n. 8. t. II. f. 19.

*St. erythrocephalus* niger, nitidus; capite rufo, macula frontali nigra — certo varietas *St. oculati* eſt.

*Long.* 7 — 8½ lin.

Partium forma et proportione omnino *St. oculati.*

*Caput* ſpeciminibus quibusdam thorace paulo maius, quibusdam thorace paulo minus; rufum; ore, antennis (quarum articuli 7 vltimi deſunt) et macula quadrata inter oculos nigris.

Habitat in Noua Hollandia. — E collectione Boſciana.

*St. erythrocephalus Fabr.* Ent. S. St. n. 17.
— — *Olivier* Ent. St. n. 9. t. II. f. 9.

Genvs

## GENVS IV.

## LATHROBIVM.

*Lathrobia*, habitu planiuſculo filiformi, capite thoraceque punctis, hoc rectangulo, a reliquis Coleopteris Micropteris iam diſtingui poſſunt. *Staphylini* fam. II., quibus, primo intuitu, ſimiliora eſſe videntur, habitu ſunt paulo convexiore, thorace haud confuſe ſed vel omnino non vel parcius et ſtriatim puncto, pedibus longioribus et gracilioribus, palpis filiformibus, qui optimum praebent characterem diſtinctiuum. *Palpi* acuminati ſunt, excepto *L. latipede* (Pinophilus M. p. 201.), cui filiformes, vt Staphylinis. — De ſimilitudine Lathrobiorum cum quibusdam *Paederis* vide ea, quae de Paederis dicam.

Haec ſunt quae de Lathrobiis, reſpectu generum aliorum monere me oportuit; haud enim vereor, quemque Lathrobia cum vllo alio genere confundere poſſe, licet characteres huic generi proprii peculiares non exſtent. Character totus naturalis, ſeu complexus characterum, qui omnibus huius generis ſpeciebus communes ſunt, ſufficient ad praebendam genericam diſtinctionem. Habitus hic certus naturalis omnia Lathrobia iungit. Qui autem ſyſtema artificiale, partibus oris aut pedum innixum, conde-

conderet, *Lathrobium latipes* a reliquis coſpeciebus naturalibus ſecernere coactus foret; palpi enim, omnibus Lathrobiis acuminati, huic ſoli filiformes ſunt; vnguis autem, omnibus Coleopteris Micropteris apici articuli quarti tarſorum adhaerens, in illa ſpecie baſi huius articuli adhaeret.

Hoc genus in *quatuor familias* diſpeſci poteſt, quarum prima et ſecunda ſingula ſingulam quidem tantummodo ſpeciem continet, ſpeciem autem, quae tam ſtatura quam characteribus quibusdam peculiaribus a reliquis coſpeciebus huius generis ſemper differt.

### Familia I.

Olim *Pinophilus*; genus XIV. M. p. 201.; de quo confer quae iam dixi loco citato.

1. *L. latipes.* — M. p. 202.

### Familia II.

De hac familia vide deſcriptionem vnius, quam continet, ſpeciei.

2. *L. depreſſum* M. p. 182.

Variat etiam femoribus poſticis rufis. — E collectione *Bosciana.*

### Familia III.

Comprehendit paucas ſpecies, antennis quaſi infractis notatas: Articulus nempe primus an-

tennarum, qui reliquis multo longior eſt, cum reliqua antennarum parte angulum format recto paululum maiorem.

3. *L. fracticorne* M. p. 54.

Antennae interdum rufescunt.

4. *L. pallipes* M. p. 179.

Antennae vel rufescunt vel fuscescunt.

Familia IV.

Omnes reliquas huius generis ſpecies complectitur, quae, palpis acuminatis, a fam. I., corpore conuexiore a fam. II., antennarum articulo primo breuiore, a fam. III. differunt.

5. *L. fuscum*, fuscum; antennis palpisque pallidioribus; pedibus rufis.

*Long.* 4 lin.

Habitu *L. brunnipedis* (n. 6.); punctura autem ſubtiliore quam in plurimis reliquis coſpeciebus.

*Caput* ſuborbiculatum, nitidum, caſtaneofuscum; magnitudine thoracis; antennis, capite longioribus, palpisque rufescentibus ſeu fuscescentibus.

*Thorax* ſubquadratus, latitudine vix paulo longior, angulis obtuſis, magnitudine coleoptrorum.

*Coleoptra* latitudine vix paulo longiora.

*Pedes* tarſis anticis dilatatis.

Habi-

Habitat Pariſiis — *Brongniart* — et Brunſuigae — *Dahl.*

6. *L. brunnipes* M. p. 56.

7. *L. piloſum* M. p. 56.

*Caput* orbiculatum, thorace duplo fere minus, nitidum, punctum, nigrum, antennis palpisque fuscis.

*Thorax* quadratus, coleoptris duplo minor, punctus, nitidus, niger.

*Coleoptra* latitudine longiora, nigra, minus nitida quam thorax et caput; puncta, punctis ſubtiliſſimis et confertiſſimis; pilis tenuiſſimis breuiſſimis griſescentibus veſtita.

*Abdomen* coleoptris triplo fere longius, nigrum, nitidulum, pilis griſescentibus ſubſericans.

*Pedes* nigro-fusci, tarſis pallidioribus.

*Staph. quadratus Payk.* St. n. 21.?

8. *L. gracile* M. p. 182.

Habitat etiam Brunſuigae, tempore aeſtiuo, ſub gramine, in pratis — *Dahl.*

9. *L. longiusculum* M. p. 181.

10. *L. politum* M. p. 180.

11. *L. multipunctum* M. p. 52.

Haec ſpecies, thorace elytrisque puncto-ſtriatis, Lathrobiis duobus praecedentibus valde affinis eſt; inde deſcriptione eget accuratiore.

*Long.* $2\frac{1}{2}$ — 3 lin.

*Color* huius ſpeciei variat. Deſcriptio eius in M. p. 32. a varietate rufeſcente deſumta eſt et, quoad formam atque proportionem partium, ad huius ſpeciei varietates ſatis bene quadrat. Quaedam attamen monenda ſunt.

*Thorax* vix baſin verſus ſubanguſtatus, ſed rectangulus eſt. Puncta eius lateralia in ſeries interdum ſubdispoſita eſſe videntur circiter ſeptem.

*Coleoptra* thorace vix paululum latiora ſunt, puncta; punctis disci in ſeries 10 dispoſitis, lateralibus inordinatis.

*Abdomen* coleoptris triplo longius.

*Color* variat:

1) Niger; pedibus teſtaceo-rufis; coleoptris obſcuro-caſtaneis; antennis palpisque rufo-fuſcescentibus.

2) Capite et abdomine fuſceſcentibus; thorace rufeſcente; coleoptris piceis; pedibus teſtaceis.

*Punctura* huius ſpeciei multo craſſior eſt quam in coſpeciebus.

12. *L. elongatum* M. p. 55. nigrum nitidulum; coleoptris confuſe-punctis, apice ſanguineo-rufis; pedibus rufo-teſtaceis.

13. *L. lineare* M. p. 54. nigricans; pedibus rufis; antennis elytrisque fuſcis; his puncto-ſtriatis.

Hoc Lathrobium in mea collectione haud exſtat. Diagnoſin eius, qua a Lathrobio praecedente

cedente differt, Dom. Profeſſori *Knoch* debeo, qui mecum adhuc quasdam adnotationes de differentia eorum communicauit, his verbis: "*L. lineare* haud eſſentialiter ſtatura graciliore a *L. elongato* differt, quamquam hoc rariſſime ſtatura aeque gracili ac illud occurrit; ſed potius punctura craſſiore thoracis et elytrorum, his praeterea puncto-ſtriatis, in *L. elongato* autem inordinatim punctis; palpi etiam *L. linearis* apice craſſiores ſunt quam in illa ſpecie."

Lathrobia mihi ſunt multa, quae, adhibitis his diſtinctionibus, pro mera *L. elongata* habeo. Statura variant graciliore et craſſiore, nec non colore:

1) L. nigrum; pedibus rufis; palpis, antennis, anoque fuscis; coleoptris etiam fere omnino nigris, apicem verſus ſubnigro-caſtaneis.

2) L. coleoptris caſtaneis, baſi nigris; caetera vt in varietate 1. — Haec varietas omnium eſt frequentiſſima.

3) Coleoptris totis nigro-caſtaneis; caetera vt in varietatibus praecedentibus.

4) L. nigrum; antennis palpisque rufo-fuscis; thorace fusco-piceo; elytris pedibusque teſtaceis.

Hic color obſcurior ſeu pallidior ab aetate magis minusue prouecta horum inſectorum dependere videtur.

Pun-

Punctura harum varietatum mox paulo craſſior mox paulo ſubtilior eſt, ſine discrimine ſtaturae gracilioris craſſiorisue. Immo individuum mihi eſt varietatis 2, reliquis paulo gracilius, cuius puncta elytrorum, oculis bene armatis et intentis examinata, iamiam in ſeries ſe disponere videntur; ſeriebus autem obſoletiſſimis, nec cum ſutura exacte parallelis ſed ſuboblique a baſi elytrorum apicem eorum verſus deductis, ita vt ſpatium inter apicem harum ſerierum et ſuturam anguſtius ſit quam inter baſin earum et ſuturam. Haec punctorum diſpoſitio tranſitum forſan demonſtrat a *L. elongato* ad *L. lineare.*

*Staphylinus elongatus Linn.* Syſt. nat. ed. XII. Staph. n. 14.

14. *L. terminatum* M. p. 55.

Variat colore pedum antennarum et palporum obſcuriore vel pallidiore; puſtulis in angulis coleoptrorum rufescentibus vel diſtinctis vel obſoletis.

15. *L. longulum* M. p. 53., capite gaudet ſubquadrato, angulis obtuſis; coleoptris obſoletiſſime punctis; longitudine $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

*Lathrobium* quoddam, a Dom. *Dahl* ſub nomine *L. filiforme Knochii* mecum communicatum, illi peraffine eſt: Nigrum, nitidum, pedibus

pedibus antennisque fuscis; coleoptris obſoletiſſime punctis; longitudine $2\frac{2}{3}$ lin.

Statura nec non partium forma et proportione omnino *L. elongati* varietatibus gracilioribus ſimillimum eſt, exceptis attamen coleoptris, quae vix oculo armato puncturam obſoletiſſimam, interdum etiam veſtigia obſoleta ſtriarum oſtendunt. — Praeter ſtaturam paulo maiorem et craſſiorem, nec non colorem pedum et antennarum, nullis characteribus a *L. longulo* differt.

*L. filiforme* et *longulum* habitant Brunſuigae iisdem locis, in gramine nempe et ſub foliis deciduis ad ripas — *Dahl.*

16. *L. badium* M. p. 53.

17. *L. bicolor* M. p. 179.

18. *L. caſtaneum* M. p. 52. e collectione *Knochiana*, vbi haec ſpecies ſola exſtabat, ſe ſubduxit.

---

## Genvs V.

# PAEDERVS.

Hoc genus in tres familias diſpesci poteſt: *Familia* I. complectitur Paederos Lathrobiis adfiniores, niſi ſtatura breuiore conuexiore, pedibus gracilioribus, thorace craſſiore et breuiore diſcreparent. — *Familia* II. Paederos partibus corporis minus arcte inter ſe iunctis; capite et thorace craſſioribus atque globoſis, opacis, confertiſſime punctis. — *Familia* III. Paederos habitu proceriore teretiusculo, thorace plus minusue globoſo, nitidiſſimo, punctis perpaucis vagis impreſſo, coleoptris cicatricoſe-punctis. Haec familia *Aleocharis* quibusdam fam. I., II. et III. adfinis eſt, quibus etiam caput et thorax plus minusue globoſi et laxius inter ſe atque cum trunco reliquo coniuncti habitum dant peculiarem. Praeterea mores et quibusdam vel ipſe color eidem ſunt; Degunt ſub gramine, in locis humidioribus apricis, et e. g. *P. riparium* cum *Al. collari*, *limbata*, *canaliculata* et *ſulcata* ſaepius promiſcue locis indicatis legi. Cum colorem ſpectamus, hoc etiam obſeruamus aliquam congruentiam: Thorax, pedes et abdominis baſis Paederis multis fam. III. et multis Aleocharis pallidiores ſunt, capite elytris anoque obſcu-

obſcuris; immo *P. riparius* et *A. collaris* colore nihil fere differunt. Omnes autem ſimilitudines, quas memoraui, ineſſentiales ſunt, et natura Paederos fam. III. et Aleocharas characteribus multo ſtabilioribus ſegregauit. Staturam iſtam teretiuſculam, imprimis abdominis, Paederorum, quos citaui, in Aleocharis haud vidimus; antennae, Paederis filiformes, Aleocharis omnibus hic allegatis extrorſum craſſiores ſunt; coleoptra Paederis ſunt craſſe et cicatricoſe-puncta, Aleocharis ſubtiliter; thorax Paederis eſt laeuis, punctis paucis vagis impreſſus, Aleocharis vel omnino laeuis vel ſulculis aut fouea aut puncto maiore ante ſcutellum impreſſus. — Palpi anteriores plurimorum huius generis Micropterorum triarticulati eſſe videntur; in Paederis autem familiae III. tuberculum, apici articuli tertii impoſitum, quaſi articuli quarti veſtigium eſſe videtur; articulum verum quartum ſubuliformem, alias ſemper in articulum tertium craſſum retractum, non niſi ſemel, in vno *P. orbiculati* indiuiduo collectionis *Latreilleanae* exſertum vidi, quod eo ſingularius eſt, cum hic articulus in omnibus reliquis fere innumerabilibus micropteris, quibus palpi acuminati ſunt, quotquot eorum examinaui, exſertus eſſet.

FAMI-

FAMILIA I.

1. *P. ochraceus* M. p. 59.

2. *P. rubricollis* rufo-fuſcescens, nitidulus; capite obſcuro; thorace ſubquadrato pedibusque rufis.

*Long.* 1½ lin.

Hâbitu partiumque forma atque proportione omnino P. ſequentis; punctura autem ſubtiliore, capite minore, antennis longioribus et gracilioribus, nec non colore, differt.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, nigro-fuscum; antennis filiformibus, capite thoraceque paulo longioribus.

*Thorax* rufus, coleoptris breuior.

*Coleoptra* et *abdomen* rufo-fuscescentia, ſubgriſescenti-ſericantia.

*Pedes* rufo-teſtacei.

*P. rubricollis* — *Knoch.*

*P. teſtaceus Olivier* Ent. Paed. n. 3. tab. I. f. 6. vel ad hanc vel ad praecedentem ſpeciem conferri poteſt.

3. *P. bicolor* M. p. 59.

In collectione *Boſciana* hic Paederus *Staph. affinis Payk.* nominatus erat.

*P. melanocephalus Fabr.* Ent. Syſt. Paed. n. 10.

*P. melanocephalus Panz.* Fn. Inſ. Germ. H. XXXVI. tab. 22. forſan eadem ſpecies eſt, coleoptris obſcurioribus.

Dom.

Dom. *Sturm* varietatem huius Paederi mecum communicauit nitidam, nigram; antennis, thorace et coleoptrorum ſummo margine apicali rufis, palpis pedibusque teſtaceis.

4. *P. caſtaneus* M. p. 60.

Hunc Paederum in collectione *Boſciana* ſub nomine *Staph. elegans Olivier* (Ent. St. n. 20. tab. V. f. 50.) vidi.

5. *P. corticinus* M. p. 184.

Dom. *Dahl* cepit Brunſuigae Paederum, qui *P. corticino* affinis eſſe videtur, teſte autem Dom. Prof. *Knoch* ab illo differt. Deſcriptionem eius hic addo:

*Long.* 2 lin.

*Caput* thorace paulo longius et latius, ſubtiliſſime confertiſſimeque punctum, fuscum; antennis, capite paulo longioribus, rufo-testaceis; palpis rufo-teſtaceis, ſubacuminatis, articulo quarto oculo bene armato difficilime conſpicuo; mandibulis rufo-teſtaceis.

*Thorax* quadratus, baſin verſus paululum anguſtior; ſubtiliſſime confertiſſimeque punctus, linea media longitudinali leuiſſima; coleoptris minor, piceo-rufus.

*Coleoptra* rectangula; elytris latitudine duplo longioribus; ſubtiliſſime puncta, circa ſcutellum fusco-teſtacea.

*Scutellum* fusco-teſtaceum.

*Abdo-*

*Abdomen* coleoptris plus duplo longius, marginatum, piceo-teſtaceum, apice ſubpallidiore.

*Pedes* teſtacei.

6. *P. veſtitus* leuis, niger, nitidus; coleoptris ſubfuscescentibus; antennarum et palporum baſi, pedibusque teſtaceis.

*Long.* 2 lin.

*Caput* orbiculatum, nigrum, thorace minus; palpis anterioribus teſtaceis, articulo vltimo obſcuro; antennis, capite thoraceque paulo longioribus, fuscis, baſi teſtaceis.

*Thorax* ſuborbiculatus, duplo fere coleoptris minor; interdum linea dorſali longitudinali, ſaepius autem obſoleta, impreſſus.

*Coleoptra* quadrata, nigricantia ſeu fuscescentia.

*Pedes* teſtacei.

Habitat Roſtochii — *Karſten.*

Hunc Paederum Dom. *Karſten* cum Dom. Prof. *Hellwig* communicauit, ſub nomine *Staphylinus veſtitus;* habitus autem totus et forma palporum verum genus deſignant.

### Familia II.

7. *P. fragilis* niger, ſubnitidus; thorace, antennis, pedibusque rufis; elytrorum margine apicali teſtaceo.

*Long.* 3 lin.

Habitu

Habitu, partiumque forma ac proportione omnino Paederi ſequentis, thorace paulo anguſtiore.

*Caput* nigrum, antennis et palpis rufeſcentibus.

*Thorax* nitidulus, canalicula longitudinali ſubobſoleta impreſſus.

*Abdomen* ſubſericans.

Habitat Pariſiis — *Boſc.*

In collectione *Boſciana* hic Paederus exſtabat ſub nomine *P. melanocephalus Fabr.* (conf. *P. bicolor* n. 3.) a quo tamen ſane differt, neque enim minutus eſt neque filiformis.

8. *P. orbiculatus* M. p. 63.

9. *P. anguſtatus* M. p. 63.

*Thorax* ſubquadratus, angulis obtuſis, apicem verſus anguſtior.

Sunt autem huius ſpeciei duae varietates (vel, iudice *Knochio*, duae ſpecies diſtinctae), quarum vna, et quidem minor, thorace eſt paulo breuiore, punctura paulo craſſiore et elytris paulo magis nitentibus, quam varietas maior, cui Dom. Prof. *Knoch* nomen dedit *P. procerus*. Cum vero hae differentiae mihi nondum ſufficere videantur ad nouam ſpeciem condendam, ſaltem expectare mihi liceat, dum plura huius *Paed. proceri*, haud frequenter occurrentis, indiuidua lecta ſint,

an

an characteres illi ſemper eum a *P. anguſtato* diſtinguant. —

Habitant Brunſuigae — *Dahl.*

*P. anguſtatus* (?) nitidus, fusco-niger; palpis, antennis atque pedibus ochraceis.

Habitu nec non partium forma et proportione *P. anguſtati;* an eius varietas iunior?

*Thorax* obſcuro-fuscus.

*Elytra* nigro-fusca, apice rufescentia.

Habitat in Boruſſia — *Kugellan.*

E collectione *Hellwigiana.*

*Staph. gracilis Payk.* Mon. St. n. XXVIII. iudice *Paykullo* ipſo mera *P. anguſtati* varietas eſt: *Payk.* Faun. Suec. p. 431. n. 7. *β.*

### Familia III.

10. *P. littorarius* rufus; antennarum medio fuſco; capite et ano nigris; elytris coeruleis.

*Long.* $2\frac{1}{3}$ lin.

Habitu, partiumque forma proportione et punctura *Paederi riparii;* magnitudine attamen et coleoptris paulo breuioribus differt.

*Caput* nigrum; palpis totis rufis; antennis fuscis, articulis tribus primis et duobus vltimis rufis.

*Pedes* rufi, geniculis vix paulo obſcurioribus.

Habitat in America ſeptentrionali — *Knoch.*

*P. littorarius* — *Knoch.*

11. *P.*

11. *P. riparius* M. p. 62.
12. *P. littoralis* M. p. 61. in Gallia multo eſt frequentior quam *P. riparius*, qui immo rarus eſſe videtur, cum mihi in collectionibus Entomologorum Pariſienſium ſemel modo occurrerit. — Attamen fere credo, ambos in vnam eandemque ſpeciem redigendos eſſe, cum mihi indiuidua ſint, quae, characteribus diſtinctiuis, a capite et thorace magis minusue globoſis deſumtis, medium inter ambas ſpecies tenent. Scimus autem de multis aliis Micropteris, hanc capitis et thoracis formam et proportionem variabilem eſſe, quod etiam de *P. ruficolli* valet, cuius indiuidua thorace magis minusue globoſo variant.
13. *P. ruficollis* M. p. 185.
    Confer quae modo ad *P. littoralem* monui.
    Habitat etiam in *Gallia*.
    *Geoffr.* Hiſt. Staph. n. 23.
    *Staph. thoracicus Fourcr.* Ent. Par. St. n. 23.

---

Genvs

## Genvs VI.

## ALEOCHARA.

Genus, quod multa complectitur Microptera, habitu naturali toto, et partibus etiam ſingulis ſatis diuerſa, ita, vt familiae ſex, in quas diſtribuuntur, forſan plura genera condere poſſint:

*Familia* I. comprehendit Aleocharas, quibus partes trunci paulo quidem arctius cohaerent, quam plurimis familiae ſequentis, laxius autem quam coſpeciebus plurimis familiarum reliquarum. — *Capite* exſerto, thoracis magnitudine, fronte plerumque plana; *thorace* latitudine paulo longiore, coleoptris paululum minore, disco deplanato, interdum ſubcanaliculato, a caeteris Aleocharis praecipue diſtinctae ſunt.

*Familia* II. comprehendit Aleocharas paruulas, habitu peculiari a reliquis diuerſas; *capite* et *thorace* laxe inter ſe et cum reliquo trunco cohaerentibus; *capite* globoſo, nunquam minore quam thorax, ſaepius autem maiore; *thorace* globoſo, baſin verſus, rarius apice, anguſtiore, coleoptris minore; ſulculis ſeu ſulco vnico vel ſaltem puncto magno ante ſcutellum impreſſo. Sulculae diſtinctae breues ad baſin *coleoptrorum* non niſi in hac familia deprehenduntur et vna cum glabritie coleoptrorum et thorace cordato

ſeu

ſeu obcordato coleoptris minore, optimi eius characteres ſunt. — *Al. picea* et *nigra*, quibus quidem coleoptra ſunt ſubtiliſſime puncta, nec baſi ſulculis impreſſa, ob formam autem et proportionem thoracis meliore iure huic familiae quam ſequenti inſeruntur, et limitem quaſi deſignant, quo (per *Al. aethiopem analem* etc. e familia tertia) haec familia tertiae adpropinquatur; differentia etiam magnitudinis thoracis et coleoptrorum minor eſt in his duabus ſpeciebus, quam in reliquis familiae II.

*Familia* III. continet, praeter totam familiam ſecundam M. p. 77., plures etiam ſpecies e familia prima M. p. 67., ſcilicet *Al. analem*, *aethiopem*, *prolixam*, *collarem*, *cinctam*, *lucidam*, *limbatam*, nec non genus IV. M. p. 65. Cum vero vnicum vnicae huius generis ſpeciei individuum tempore hyberno et minus ſereno examinarem, palpis anterioribus triarticulatis et mandibulis dentatis inſtructum eſſe mihi videbatur. Examen autem reiteratum et die ſereno inſtitutum me docuit, huic inſecto omnino palpos et mandibulas eſſe vt reliquis Aleocharis. Licet ergo ſtructura peculiari antennarum ab omnibus coſpeciebus differat, attamen haud haereo, an hoc genus *Calliceri* tollam et Aleocharis familiae III., quibus, tam habitu toto externo, quam partium ſingularum forma, antennis ſolis

K ex-

exceptis, ſimillimum eſt, adſociem; nomen hactenus genericum ſpeciei manebit. — *Partes trunci* micropterorum huius familiae arctius cohaerent, quam in familiis praecedentibus, minus autem arcte quam in familia ſequente. *Caput* thorace quidem minus eſt, haud vero adeo quam in familia ſequente. *Thorax* plus minusue orbiculatus, paulo interdum in latitudinem extenſus, coleoptrorum circiter magnitudine, ſpeciebus longe plurimis minus eſt conuexus, quam in familiis praecedentibus et ſequente, interdum autem adeo conuexus, vt thoraci globoſo ſpecierum e familia prima propius accedat, forma autem orbiculata, nec cordata vel obcordata, ſemper ab illo diuerſus. *Punctura* capitis et thoracis in regula vel omnino deeſt, vel adeo eſt ſubtilis, vt vix oculis armatis ſeſe offerat. *Al. nigricollis* autem et *Al. fulgida* ab hac regula excipiendae ſunt; caput nempe et thorax illius ſcabriculi ſunt, i. e. punctis craſſioribus impreſſi, huius vero punctis ſparſis diſtinctis impreſſi. *Coleoptra* ſpecierum huius familiae quadrata eſſe ſolent.

*Familiae* IV. Aleocharae, *ſtatura* coacta et craſſa, trunci partibus arctiſſime inuicem iunctis, latiusculis, a ſpeciebus praecedentibus differunt. Haec ſtatura coacta craſſa ſingulis etiam trunci partibus formam efficit peculiarem, imprimis reſpe-

reſpectu proportionis longitudinis partium ad latitudinem earum: *Caput* paruum, orbiculatum, ſub *thorace* multo maiore, conuexo, transverſo, apicem verſus plerumque anguſtiore, abſconditur. *Coleoptra* transuerſa ſunt, elytris ſaepius ſubquadratis. — Haec familia, ſpeciminibus quibusdam minus coactis et, quod inde ſequitur, thorace coleoptrisque minus latis minusque conuexis, cum familia III. iungitur, e. g. per *Al. ruficornem*, *laeuem* etc. — Vt omnibus reliquarum familiarum Aleocharis, ita etiam ſpeciebus huius familiae longe plurimis, *labrum* transuerſum et *palpi* breues acuminati, articulo penultimo clauato, ſunt. Quibusdam autem huius familiae Aleocharis, ſcilicet *Al. excuſae*, *minutae* et *palpali* labrum productum ſubquadrato-orbiculatum et palpi, quorum articulus vltimus vix viſibilis eſt et oculo bene armato qua ſeta perexigua et tenuis ſeſe oſtendit, longi et graciliores ſunt.

*Familia* V. ſpecies ſolummodo duas comprehendit perexiguas, habitu autem et forma atque proportione partium ſingularum ab omnibus caeteris Aleocharis ſatis diſtinctas, vt in propriam familiam coniungi poſſint. *Corpus* eſt depreſſiusculum. *Caput*, antennis extrorſum valde incraſſatis, thorace eſt minus. *Thorax* transuerſus conuexiusculus. *Coleoptra* leuia, transuerſa,

thorace latiora et duplo fere longiora ſunt. Ex his characteribus coniunctis cuique apparebit, hanc familiam aeque naturalem ac neceſſariam eſſe.

*Familia* VI. etiam duas tantum ſpecies complectitur, quae omnibus characteribus cum Aleocharis familiae III. congruerentur, niſi thorax et corpus totum eis depreſſi eſſent.

### Familia I.

1. *A. canaliculata* M. p. 68.

*Thorax* interdum vix ouatus eſt, latitudine paulo longior.

2. *A. linearis* M. p. 69. ſubnitidula, nigricans, antennarum baſi pedibusque teſtaceis; fronte thoraceque planiuſculis.

Capite et thorace minus depreſſis, colore ſubnitidulo etc. ab Al. ſequente differt.

Huius ſpeciei indiuidua tria poſſideo, quorum vnum ſtatura paulo latius eſt, canalicula thoracis obſoletiore; altera duo, quorum vnum Dom. *Sturm* mecum communicauit, ſtatura paulo anguſtiore ſunt, thoracis canalicula diſtincta.

In deſcriptione huius ſpeciei M. p. 69. dixi anum ei eſſe rufeſcentem, ſed indiuiduo latiori, quod poſſideo, abdominis pars dimidia deeſt, indiuiduis autem gracilioribus anus eſt concolor cum abdomine.

*Al.*

*Al. linearis var.?* nigra, nitidula; pedibus, elytris, palpis, antennarumque baſi rufis; capite thoraceque planiusculis.

*Long* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Caput* thorace duplo minus, fronte impreſſa, nigrum; antennis, capite thoraceque paulo longioribus, nigro-fuscis, articulo primo rufo; palpis rufis.

*Thorax* coleoptris paulo minor, quadratus angulis obtuſis, disco planiusculo ſubcanaliculato, nigro-fuscus.

*Coleoptra* quadrata, teſtaceo-rufa, baſin verſus ſenſim obſcuriora, tandemque et circa ſcutellum fuscescentia.

*Abdomen* coleoptris quadruplo longius, nigrum.

Habitat Norimbergae — Dom. *Sturm* vnicum huius varietatis (?) ſpecimen, quod poſſideo, mecum communicauit.

3. *Al. dimidiata* opaca nigra; baſi antennarum, palpis, pedibus, coleoptrorumque dimidia parte teſtaceis; fronte thoraceque deplanatis.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

Statura lineari, partium forma et proportione, fronte et thorace planiusculis, cum *Al. lineari* (n. 2.) conferri poteſt.

*Caput* thoracis fere magnitudine, fronte depreſſa; opacum, nigrum; antennis, capite duplo

duplo longioribus, fuscis, articulis 4 primis rufo-teſtaceis; palpis rufo-teſtaceis.

*Thorax* ſubquadratus, angulis obtuſis, baſin verſus vix paulo anguſtior, coleoptris paulo minor; diſco deplanato obſolete canaliculato; opacus, niger.

*Coleoptra* leuia, quadrata; dimidiato baſi nigra, apice teſtacea.

*Abdomen* coleoptris quadruplo longius, nigrum, nitidulum, ſublineare, apicem verſus paululum incraſſatum.

*Pedes* teſtaceo-ruſi.

Habitat Pariſiis — *Boſc.* — Roſtochii — *Karſten* — Brunſuigae, ad ripas piſcinarum — *Dahl.*

Haec ſpecies in collectione *Boſciana* ſub nomine *Staph. anguſtatus Payk.* exſtabat, et verus *Paed. anguſtatus* ad *Paed. orbiculatum* relatus erat — Dom. *Karſten* hanc Aleocharam ſub nomine *Staph. dimidiatus* miſit Dom. Prof. *Hellwigio.*

FAMILIA II.

4. *A. impreſſa* M. p. 72.

5. *A. riuularis* M. p. 73.

6. *A. ſulcata* M. p. 73., thorace cordato, fouea media longitudinali impreſſo; coleoptris quadratis; fusca, ſubſericea, pedibus teſtaceis.

Confer

Confer notam ad n. 8.

Habitat, primo vere, ſub gramine.

7. *A. ſulcatula*, thorace cordato, fouea media longitudinali impreſſo; coleoptris quadratis; nigro-fusca, nitida, pedibus antennarumque baſi teſtaceis.

Haec ſpecies praecedenti adeo ſimilis eſt, vt eam pro mera eius varietate habere mallem. Differt ſtatura paulo graciliore, nitore ſericeo deficiente, colore paulo obſcuriore, capite paulo minore. Dom. Prof. *Knoch* ſcripſit mihi autem, ſe, multis huius ſpeciei indiuiduis, nullam varietatem nullumque tranſitum in *Al. ſulcatam* obſeruaſſe.

Habitat Brunſuigae, ad ripas foſſarum in pratis, ſub gramine — *Dahl.*

*A. ſulcatula* — *Knoch.*

8. *A. obſcura* M. p. 74. thorace cordato, ſubfoveolato; coleoptris transuerſis; nigro-fusca, ſubſericans, antennis elytris pedibusque rufescentibus.

Haec ſpecies et duae praecedentes, a quibus haec imprimis coleoptris transuerſis differt, attamen obſeruationes adhuc accuratiores et in pluribus indiuiduis, temporibus et locis diuerſis captis, requirunt, quo de differentia aut identitate ſpecifica earum diiudicari

cari poſſit, cum affinitatem nimiam inter ſe prodant.

Hanc *Al. obſcuram* in collectione *Boſciana* ſub nomine *St. craſſicornis* Fabr. reperi.

9. *Al. fracticornis* thorace ſuborbiculato, foueolato; coleoptris quadratis; nigro-fusca, nitida, pedibus pallidioribus.

Statura paulo minore, thoracis forma, et colore obſcuriore a ſpeciebus tribus praecedentibus differt.

*Caput* thoracis magnitudine, nigricans, ſulca transuerſali inter antennas impreſſum; antennis capite duplo longioribus.

*Thorax* ſuborbiculatus, baſin verſus paululum anguſtior, fouea media longitudinali, quae autem apice interdum obſoleta eſt, impreſſus; nigricans.

*Coleoptra* quadrata, fusca.

*Abdomen* nigrum.

*Pedes* piceo-fuscescentes.

Habitat Brunſuigae, in pratis ad ripas foſſarum — *Dahl.*

10. *A. picea* M. p. 75.

11. *A. nigra* M. p. 75.

12. *A. corticalis* M. 76. et *Al. tenuis* M. p. 84. varietates ſunt vnius eiusdemque ſpeciei. — Conf. *Illigers* Magazin B. I. p. 480.

FAMI-

FAMILIA III.

13. *At. analis* M. p. 76.

*Thorax* longitudine vix paulo latior eſt.

*A. exilis* — *Knoch*. Sub hoc nomine Dom. *Dahl* Aleocharam mecum communicauit, quam pro mera huius ſpeciei varietate habeo. Dom. Prof. *Knoch* ipſe autem mecum haud conſentit, et ſcripſit mihi: "*Aleochara exilis* minor eſt quam *Al. analis*, et gaudet antennis craſſioribus, quapropter ego hanc ſpeciem haud cum illa confundendam eſſe cenſeo."

Habitat Brunſuigae, ſub foliis deciduis, in ſyluis — *Dahl*.

14. *A. Aethiops* M. p. 77.

*Var.?* habitu toto et forma atque proportione partium *Al. Aethiopis* — *Long.* $1\frac{1}{3}$ lin. — *Antennae* cum reliquo corpore concolores. —

*Thorax* canalicula longitudinali ſubobſoleta impreſſus. — *Pedes* femoribus cum reliquo corpore concoloribus, tarſis tibiisque teſtaceis. — Habitat Pariſiis in fimo — *Desmareſt*.

15. *A. inquinula* M. p. 78.

16. *A. puſilla* M. p. 78. Er. 605. (Oxyt. [illegible])

17. *A. Callicera* M. p. 65. Gen. *Callicerus*. — Conf. quae ſupra in generalitatibus generis *Aleochara* dixi. (p. 145.)

18. *A. elongatula* M. p. 79.

*A.*

*A. oblonga Kn.* quam Dom. *Dahl* mecum communicauit, nihil aliud eſſe videtur, quam varietas huius ſpeciei. Magnitudine, partiumque forma proportione et punctura omnino cum illa conuenit; colore tantummodo paulo obſcuriore differt. Eſt enim nigra, antennis nigro-fuscis, elytris fuscis, palpis pedibusque teſtaceis; ſegmentorum marginibus ventre vix paulo pallidioribus.

Addo hic verba Dom. Prof. *Knoch.* "*Al. oblonga* haud eadem ſpecies eſt cum *Al. elongatula*, thorax enim baſi, ante ſcutellum, puncto oblongo, quod in *Al. oblonga* orbiculatum eſt, impreſſus eſt, et color huius ſpeciei variabilis eſt, quod in *Al. elongatula* haud obſeruaui."

Habitat Brunſuigae ſub cortice fagorum demortuarum. — *Dahl.*

19. *A. reptans*, nitida, nigra; palpis, antennis, elytris, pedibus, anoque rufescentibus.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

Statura gracili, partium forma proportione et punctura Al. praecedentis, a qua, antennis paulo breuioribus et craſſioribus, thorace perpaululum conuexiore, magnitudine paulo minore, nitore ſplendidiore, differt. An eius varietas? Ab *Al. anali* (n. 13.) et *circellari* (n. 22.) praecipue thoracis puncto anteſcutellari

lari impreſſo deficiente, coleoptris quadratis, nec non magnitudine maiore, differt; nam illis punctum thoracis anteſcutellare diſtinctum eſt et coleoptra longitudine paulo latiora ſunt.

*Caput* atrum; antennis, vix capitis thoracisque longitudine, et ore rufescentibus.

*Thorax* nigro-fuscus.

*Coleoptra* quadrata, puncta, fusco-caſtanea, lateribus paulo obſcuriora.

*Abdomen* lineare, coleoptris triplo longius, nigro-fuscum; ſegmento penultimo margine, vltimoque toto rufis.

*Pedes* rufo-teſtacei.

Habitat Brunſuigae in ſalicibus demorientibus — *Dahl.*

20. *A. teres* M. p. 79.

21. *A. longiuscula* M. p. 80.

22. *A. circellaris* nitida, rufo-fusca; elytris pedibusque pallidioribus; abdomine nigro, ano teſtaceo.

*Long.* 1 lin.

Statura graciliore quam A. ſequens.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, obſcuro rufo-fuscum; antennis, capite duplo longioribus, fuscis, baſi pallidioribus; ore rufo-teſtaceo.

*Thorax*

*Thorax* rufescens, orbiculatus, coleoptrorum magnitudine.

*Coleoptra* ſubquadrata, longitudine perparum latiora, ſubtiliſſime puncta; picea vel fusco-picescentia.

*Abdomen* coleoptris quadruplo longius, nigro-fuscum, ano teſtaceo.

*Pedes* teſtacei.

Habitat Brunſuigae, ad ſalices — *Dahl.*

23. *A. Boleti* M. p. 80.

Huius ſpeciei varietates permultae in M. p. 81. deſcriptae ſunt. Iam olim Dom. Prof. *Knoch* ſuſpicabatur, has varietates in plures ſpecies redigi poſſe. Cum attamen illae varietates ſenſim vna in alteram tranſirent, eas pro meris varietatibus habere me oportebat. Nunc autem credo, duas ſaltem ſpecies peculiares e varietatibus Al. Boleti conſtitui poſſe, cuius affinitas autem, exſtantibus multis varietatibus intermediis, veriſimile e copula illarum ortis, manifeſta eſt. — Harum autem ſpecierum vna *Al. Boleti*, altera *Al. fungi* nuncupatur. Ambae victitant in fungis, ambae frequentiſſime occurunt.

*Al. Boleti*, thorace ſuborbiculato, coleoptris quadratis; nitidula nigra; baſi antennarum, palpis, pedibus, coleoptrisque pallidis, his autem

autem circa ſcutellum et in angulis apicis nigricantibus.

*Long.* 1 — 2 lin.

*Caput* nigrum; antennis fuscis, baſi rufis; palpis rufis.

*Thorax* longitudine vix paulo latior.

*Coleoptra* teſtacea ſeu piceo-teſtacea, circa ſcutellum et in angulis apicis nigricantibus.

*Pedes* teſtacei.

Ad hanc ſpeciem pertinent Var. I. 1. b. et 2.

*Staph. ſocialis Payk.* Mon. Staph. n. XLIII. huic ſpeciei adnumerandus eſt, nam in collectione *Boſciana* hanc Aleocharam, a Dom. *Paykull,* ipſo e Suecia ſub nomine *St. ſocialis* miſſam ipſe vidi.

24. *A. Fungi* (*Knoch*) thorace coleoptrisque transuerſis; nigra, nitidula; coleoptris nigrofuscis; antennis palpis pedibusque pallidioribus.

*Long.* $1\frac{1}{5}$ lin.

*Statura* eſt craſſiore quam *Al. Boleti.*

*Antennae* fuscae; *palpi* et *pedes* teſtacei ſeu fusci.

Huc numerandae ſunt *Al. Boleti* Var. II. 1. a. b — 2. a. b. e — 3.

Variabilitatem harum duarum ſpecierum iam *Linneus* obſeruaſſe videtur, magnitudinem enim *Staphylini Boleti* in Fauna Suecica n. 859. magnitudini pulicis aequiparauit; in Syſte-

matis

matis Naturae editione duodecima autem dicit idem *Linneus*, *Staphylinum Boleti* pulice dimidio minorem eſſe.

*Varietates intermediae* inter *Al. Boleti* et *Al. Fungi* thorace coleoptrisque, transuerſis, elytris pallidioribus, in illam et in hanc tranſeunt. — His varietatibus adnumerandae ſunt *Al. Boleti* Var. I, 3, 4 — II, 1, c, d, — 2, c, d.

*Varietates* quoque *intermediae* inter *Al. Fungi* vel *Al. Boleti* varietates minores et *Al. nigritulam* haud raro obueniunt. Aliaque Microptera, et quidem minima, quae in M. p. 81. ad varietates *Al. Boleti* retuli, forſan e copula varietatum minimarum huius ſpeciei vel *Al. nigritulae* (n. 34.) cum minimis huius familiae ſpeciebus orta ſunt.

25. *A. dichroa* M. p. 186.

26. *A. erythroptera*, nigra, nitida; pedibus, elytris, antennarumque baſi rufis.

Long. 2 lin.

Affinis *Al. Boleti* (n. 25.); ſtatura autem paulo maiore, thorace transuerſo, pedibus paulo craſſioribus et colore differt; capite thorace et coleoptris ſubtiliter quidem, paulo tamen diſtinctius quam in *Aleochara Boleti*, punctis.

*Caput* antennis, capitis thoracisque longitudine, fuscis, articulis 3 primis rufis; palpis rufis.

*Cole-*

*Coleoptra* ſubquadrata, longitudine vix paulo latiora, rufa, pilis tenuiſſimis veſtita.

*Abdomen* nigrum, ano ſubrufescente.

Habitat Norimbergae — *Sturm.*

*Oxyporus erythropterus Panzer* Fn. G. H. 27. tab. 21, teſte *Sturm*, qui mecum hanc Aleocharam communicauit, huc referendus eſt.

27. *A. obſcurella*, nitidula, nigra, griſeo-ſericans; antennis pedibusque fuscescentibus, illis breuibus validis.

*Long.* fere 2 lin.

*Caput* orbiculatum, vix thorace paulo minus, nigrum, pilis perpaucis griſeis ſubſericans; antennis, capite vix paulo longioribus, craſſiusculis, fuscescentibus.

*Thorax* coleoptris vix paulo minor, longitudine vix paulo latior, antice obtuſus, lateribus et baſi rotundatus, niger, pilis confertioribus griſeis ſericans.

*Coleoptra* quadrata, nigra, pilis confertis griſeis ſericantia.

*Abdomen* nigrum, ventre toto et ſegmentorum marginibus dorſalibus pilis griſeis veſtitum.

Habitat Roſtochii — *Karſten.*

Deſcripta eſt e collectione *Hellwigiana.*

28. *A. ſericans* nitida, nigra; capite thoraceque ſubflauo-ſericantibus, elytris antennisque fuscescentibus; pedibus piceo-rufescentibus.

*Long.*

*Long.* 2 lin.

*Caput* thorace duplo minus, orbiculatum, nigrum, pilis tenuiſſimis flauicantibus ſericans; palpis antennisque rufo-fuscescentibus, his capitis thoracisque longitudine.

*Thorax* ſuborbiculatus, niger, coleoptris minor, flauicanti-ſericans.

*Coleoptra* quadrata, puncta, piceo-fuscescentia.

*Abdomen* nigrum, ano pallido.

*Pedes* piceo-teſtacei.

Habitat Blankenburgi — *Knoch.*

E collectione *Knochiana.*

29. *A. terminalis* nitida, nigra; antennis, palpis, pedibus et ano rufis; elytris fuscescentibus.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Statura* teretiuscula.

*Caput* thorace paulo minus; antennis, capite longioribus, craſſiusculis.

*Thorax* nitidus, interdum ſubgriſescens, longitudine paulo latior, conuexus.

*Coleoptra* ſubtransuerſa, nigricantia, ſubtiliter puncta, minus nitida quam thorax, ad ſuturam fuscescentia.

*Abdomen* nigrum, vltimis duobus ſegmentis fuscis.

Vnicum

Vnicum huius ſpeciei indiuiduum, quod examinaui, exſtat in collectione *Sturmiana.*

30. *A. cinnamomea* M. 88.

31. *A. marginalis* nigra, nitida; antennis et thoracis marginibus lateralibus fuscescentibus; pedibus rufo-teſtaceis; elytris rufis, angulo apicis exteriore nigro.

*Long.* 1½ lin.

*Statura* Al. praecedentis.

*Caput* paruum nigrum; ore rufo; antennis pallide fuscis, baſi rufis.

*Thorax* niger, transuerſus, lateribus rotundatis, margine laterali obſolete fuscescente.

*Coleoptra* confertim atque diſtincte puncta.

E collectione *Latreilleana.*

32. *A. flauipes*, nigra, nitida; elytris ſubopacis fuscescentibus; palpis, pedibus antennarumque baſi teſtaceis.

*Long.* 1½ lin.

*Caput* ſubgloboſum, thorace duplo minus, nitidiſſimum, nigrum; antennis capite thoraceque vix breuioribus, fuscescentibus, articulis 3 primis rufis; palpis rufis.

*Thorax* nitidus, ſubtiliſſime punctus, transverſus, apicem verſus paulo anguſtatus.

*Coleoptra* opaca, ſubtiliſſime puncta, nigro-rufescentia, circa ſcutellum nigra.

 Abdo-

*Abdomen* nigrum, nitidum; ſegmentorum marginibus anoque pallescentibus.

*Pedes* teſtacei.

Habitat Pariſiis, in boletis.

E collectione *Desmareſtiana*.

33. *A. aterrima* M. p. 83.

34. *A. nigritula* M. p. 85. — De varietatibus intermediis huius ſpeciei et *Al. Boleti* et *fungi* vide notam ad n. 24.

35. *A. atra*, nigra, ſubopaca; antennis pedibusque nigrofuscis; thorace quadrato, ſubcanaliculato.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Corpus* nigrum, ſubopacum, ſubtiliſſime et confertiſſime punctum.

*Caput* thorace paulo minus; antennis gracilibus filiformibus, corporis dimidii longitudine, obſcuro-fuscis; palpis fuscis.

*Thorax* quadratus, angulis obtuſis; coleoptris minor; canalicula media longitudinali, ſaepe autem obſoleta, impreſſus.

*Coleoptra* quadrata.

*Abdomen* coleoptris triplo longius.

*Pedes* graciles, nigro-fusci, tarſis fuscis, femorum trochanteribus rufo-teſtaceis.

Habitat Brunſvigae, in muſcis, corticem ſalicum veſtientibus, tempore verno — *Dahl.*

*A. atra* — *Knoch.*

36.

36. *A. nigricollis* M. p. 84., habitat Brunſuigae, ſub arundine putrescente, in paludoſis — *Dahl.*

37. *A. fulgida*, nitida, rufa; capite thorace pectoreque nigerrimis; thorace punctis impreſſo ſparſis diſtinctioribus.

*Long.* 2⅓ lin.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, nitidiſſimum, nigerrimum, punctis aliquot ſparſis impreſſum; antennis, capitis thoracisque longitudine, palpisque rufis.

*Thorax* ſuborbiculatus, longitudine paulo latior, paulo anguſtior coleoptris; nigerrimus, nitidiſſimus; punctis ſparſis diſtinctis minoribus, vnoque magno ante ſcutellum, impreſſus.

*Coleoptra* nitida, teſtaceo-rufa; punctis craſſioribus, haud confertiſſimis, impreſſa.

*Abdomen* rufum, ano fusco.

*Pedes* teſtacei.

*Corpus* totum piloſellum.

Habitat Pariſiis.

E collectione *Boſciana.*

38. *A. alternans* M. p. 85.

39. *A. pygmaea* M. p. 86.

40. *A. obſuscata* M. p. 87.

41. *A. opaca* M. p. 89. — Varietatem 1. huius ſpeciei prehendi, primo vere, quamquam haud frequens, in muscis ad arborum radices.

42. *A. vmbrata* M. p. 90.

43. *A. collaris* M. p. 72. — Haec ſpecies nunc aptiſſime in duas ſpecies peculiares ſecernitur; quarum vna *A. collaris*, altera *Aleoch. pulchra* nuncupatur.

*A. collaris* nigra, nitida; thorace pedibusque rufo-teſtaceis; abdomine rufo, ano nigro.

*Long.* 2 lin.

*Caput* nigrum, nitidiſſimum; palpis fuscis, apice pallidioribus; antennis fuscis, articulo primo et tribus vltimis rufis.

*Thorax* rufo-teſtaceus, nitidiſſimus; punctis ſubtiliſſimis ſparſis, punctoque vno maiore ſatis diſtincto ante ſcutellum, impreſſus.

*Coleoptra* tota nigra, nitida, puncta, piloſella.

*Abdomen* rufum, nitidum; ſegmentis 2 vltimis nigris.

*Pedes* teſtacei.

Legi hanc ſpeciem, tempore verno, in locis apricis, ſub gramine.

*Staph. collaris Payk.* Mon. St. n. 36. — Faun. Suec. St. n. 43.

*Staph. collaris Olivier* Ent. St. n. 54. pl. II. f. 13.

Hanc Aleocharam vidi in collectione *Bosciana* ſub nomine *Staph. atricapillus Fb.*

44. *Al. pulchra* nitida, rufa; capite, elytrorum apice, abdominisque ſegmento antepenultimo vel duobus antepenultimis, nigris.

*Long.*

*Long.* $1\frac{1}{2}$ lin.

Haec ſpecies a praecedente non ſolum colore, ſed etiam magnitudine minore, punctura ſubtiliore, antennis minus hirtis, puncto thoracis anteſcutellari obſoletiore ſubſemilunari, differt.

*Caput* nigro-fuscum; ore teſtaceo; antennis fuscis, articulo primo et vltimo rufo-teſtaceis.

*Thorax* rufo-teſtaceus, punctus, puncto maiore anteſcutellari obſoletiore, ſubſemilunari ita vt eius conuexitas ſcutellum verſus directa ſit.

*Elytra* nigricantia; margine laterali et apicali, nec non macula quadrata humerali vel baſi tota rufis.

*Abdomen* rufum, apice nigrum, ſegmento attamen vltimo rufo.

*Pedes* teſtacei.

Huius Aleocharae indiuiduum modo vnicum ipſe prehendi, et quidem in boleto; inter multa autem Microptera collectionis *Sturmianae* tria etiam huius ſpeciei indiuidua erant, nullum autem *Aleocharae collaris.*

45. *A. prolixa* M. p. 71.

*Var.* minor.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Caput*

*Caput* nitidum, nigrum, thorace paulo minus; antennis rufo-fuscis, baſi rufo-teſtacea; ore rufo-teſtaceo.

*Thorax* orbiculatus, paulo minor coleoptris, nitidus, fuscus, marginibus pallidioribus.

*Coleoptra* quadrata, ſubtiliter puncta, nitida, rufa, circa ſcutellum et in apicis angulis nigra.

*Abdomen* rufo-fuscum, ano pallidiore.

*Pedes* rufo-teſtacei.

Habitat Brunſuigae — *Dahl.*

46. *A. cincta* rufa; capite, pectore, elytrorum macula, abdominisque ſegmentis penultimis nigricantibus.

*Long.* 2 lin.

Habitu Al. ſequentis; ſtatura autem paulo minore et graciliore, antennis paulo breuioribus, thorace minus orbiculato, colore pallidiore.

*Corpus* confertim punctum.

*Caput* nigrum; antennis fuscis, articulis 2 primis et vltimo rufescentibus; palpis rufescentibus.

*Thorax* ſuborbiculatus, angulis baſeos paulo acutioribus quam in Al. ſequente.

*Elytra* rufa, macula verſus apicem transverſali nigra.

*Al. cincta* — *Knoch.*

E collectione *Knochiana*.

47. *A. lucida* M. p. 70.

48. *A. limbata* M. p. 69. — Haec ſpecies colore et magnitudine variat; thorace autem ſubtransverſo, ſubcanaliculato, interdum impreſſionibus ſex obſoletis, quas hic accuratius deſcribam, notato, a ſpeciebus affinibus diſtingui poteſt; Illae *impreſſiones thoracis* ſunt: linea media longitudinalis; puncta duo ad marginem apicalem, ſingulo inter lineam illam et angulum apicalem ſito; punctum ante ſcutellum; et, in ſingulo baſeos angulo, foueola arcuata. Omnes autem hac impreſſiones valde obſoletae ſunt, exceptis foueolis in angulis baſeos, quae reliquis paulo diſtinctiores ſunt.

*Varietatem* huius ſpecici, magnitudine egregia, long. 3 lin. *Aleocharae humerali* (n. 50.) ſtatura, partium forma et colore valde affinem, Dom. *Dahl* prehendit ſub foliis deciduis in montoſis circa Brunſuigam, et mecum communicauit.

*Varietatem* alteram Dom. *Dahl* cum varietate praecedente iisdem locis legit. Haec ab illa differt non niſi magnitudine paulo minore et colore paulo obſcuriore. — *Long*. 2½ l. — *Caput* nigrum; antennis fuscis, baſi ruſescentibus; palpis rufo-fuscis. — *Coleoptra* nigra, ſubgriſeo-ſericantia macula humerali parua,

inter-

interdum ſubobſoleta, teſtacea. — *Abdomen*, (quod in varietate praecedente rufescens eſt, ſegmentis 4 intermediis nigricantibus) nigrum, ſubgriſeo-ſericans, marginibus ſegmentorum priorum rufescentibus. — *Pedes* rufo-fusci.

49. *A. funeſta* nitida, nigra; palpis, antennis pedibusque fuscis.

*Long.* 2 — $2\frac{1}{2}$ lin.

A varietatibus duobus praecedentibus *Al. limbatae*, haec ſpecies non ſolum colore ſed etiam thorace conuexiore paulo minore et deficientibus impreſſionibus maioribus eius differt.

*Caput* thorace duplo minus, nigrum; antennis, longitudine fere dimidii corporis, fuscis, baſi rufescentibus; palpis rufo-fuscis.

*Thorax* longitudine paulo latior, conuexior quam in Al. praecedente et ſequente; ſubtiliſſime punctus, paulo minor coleoptris.

*Coleoptra* quadrata, ſubtiliſſime puncta, nigra, ſubgriſescentia.

*Abdomen* nigrum, ventre ſugriſeo-ſericans, interdum fuscescens.

Habitat Brunſuigae, ad ſaepes, ſub foliis deciduis, tempore vernali — *Dahl.*

*Varietas intermedia* inter *Al. limbatam* et *Al. funeſtam*, nigra, nitida, antennis et pedibus fuscis; thorace puncto anteſcutellari impreſſo.

*Long.* $2\frac{1}{3}$ lin.

Habitu,

Habitu, nec non forma proportione et punctura partium, ſpeciebus 2 praecedentibus ſimilis; thorax autem latior et planior eſt quam in *Aleoch. funeſta*, anguſtior autem et conuexior quam in *Al. limbata;* leuis, excepto puncto ante ſcutellum, interdum obſoletiore, et veſtigio obſoleto lineae longitudinalis.

Huius varietatis intermediae poſſideo duo indiuidua, quae Dom. *Dahl* mecum communicauit.

50. *A. humeralis* M. p. 90. — An varietas maior Al. limbatae (n. 48.)?

FAMILIA IV.

51. *A. ruficornis* M. p. 91. variat etiam antennis fuscis, articulo primo rufo.

52. *A. leuis* M. p. 95.

53. *A. breuipennis* nitida, nigra; elytris ſubopacis, ſubrufescentibus: palpis pedibus rufescentibus.

*Longitudine*, *ſtatura* et partium proportione Al. ſequentis; corpore autem haud ſericante, elytris craſſius punctis etc. differt.

*Coleoptra* elytris quadratis.

*Pedes* rufescentes, femoribus et femorum capitibus obſcuris.

Habitat in Boruſſia — *Hellwig.*

54. *A. lugens* M. p. 95.

55. *A. moeſta* M. p. 96. nigra, nitida; pedibus antennisque pallidioribus.

*Long.* $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{3}$ lin.

*Statura* medium tenet inter A. praecedentem et *Al. fumatam* (n. 64.); coleoptris craſſius punctis ab vtraque differt.

*Corpus* nitidum, piloſellum, nec vero ſericeum; punctum, punctis diſtinctis, nec vero confertiſſimis.

*Caput* antennis vel fuscis, vel ochraceis, vel articulis tantum 2 primis rufescentibus.

*Coleoptra* fusca vel picescentia.

*Pedes* fusci, tibiis tarſisque interdum rufescentibus.

Habitat etiam Pariſiis — *Desmareſt.*

56. *A. fuscipes* M. p. 92. — Haec ſpecies, ſi reuera *St. fuscipes Payk.* eſt, quod vtique credo, etiam cum *St. ſuscipede Fabr.* coniungi debet; auctor enim Monographiae Staphylinorum Sueciae fatetur pag. 53., ſe a *Prof. Fabricio* litteris certiorem factum eſſe de identitate huius ſpeciei cum *St. ſuscipede.*

57. *A. lata* M. p. 186.

58. *A. bimaculata* M. p. 187.

59. *A. triſtis* nigra, nitida; pedibus fuscescentibus; elytris macula apicali ſanguinolenta.

*Long.* $2\frac{1}{4}$ lin.

Haec

Haec Aleochara ab omnibus, cum quibus conferri poſſit, thorace minus conuexo, latitudine longitudinem duplo fere excedente, minus orbiculato, apicem verſus anguſtiore, etc. differt.

*Coleoptra* puncta, elytris macula, angulum interiorem apicis verſus, ſanguinolenta.

Habitat Pariſiis, ſemel modo capta.

60. *A. carniuora*, opaca, nigra; thorace nitido; antennarum articulo primo rufo.

*Statura*, *magnitudine*, nec non partium forma ac proportione Aleocharae ſequentis maioris; ſtatura autem paulo latiore, colore, antennisque differt.

*Antennae* graciliores quam affinibus Aleocharis huius familiae, capite thoraceque paulo longioribus, obſcuro-fuscis, articulo primo rufescente.

*Elytra* ſubquadrata, ſubtiliſſime puncto-rugulosa.

Habitat in Boruſſia — *Hellwig.*

E collectione *Hellwigiana.*

61. *A. bipunctata* M. p. 93.

62. *A. lanuginoſa* M. p. 94.

*Var. intermediae* inter hanc et ſequentem ſpeciem, elytrorum macula apicali teſtacea, rarius occurrunt, Pariſiis, in ſtercore bouino.

63. *A. nitida* M. p. 97. — Variat interdum thorace punctis duobus, magis minusue diſtinctis, ante ſcutellum impreſſo; elytrorum macula rarius ſuturam attingente. — Habitat Pariſiis, in ſtercore bouino.

*Staph. bipunctatus Olivier* Ent. St. n. 43. tab. V. f. 44.

*Staph. bipuſtulatus Linn.* Faun Suec. (1761.) n. 847.

64. *A. fumata* M. p. 96. — Varietas huius ſpeciei, elytris rufo-caſtaneis, marginibus baſeos laterum et interdum etiam ſuturae nigricantibus, exſtat in collectione *Sturmiana,* Norimbergae.

65. *A. pulla* M. p. 96.

66. *A. excuſa*, ore producto, palpis longis; nigra, nitidula; elytris opacis; tarſis fuſcis.

*Long.* 2½ lin.

Haec ſpecies, ſtatura quidem corporis, forma et proportione thoracis coleoptrorumque, Aleochararum plurimarum huius familiae; ſed forma et proportione partium oris a coſpeciebus huius familiae longe differt.

*Caput* orbiculatum, thorace quadruplo minus, leue, nitidum. Antennis filiformibus, capite thoraceque longioribus, nigro-fuſcis. Clypeo ſemicirculari producto, nigro-fuſco, minus nitido quam caput. Labro producto inte-

integro, longitudine paulo latiore, duplo anguſtiore quam clypeus, apicem verſus anguſtiore, teſtaceo, margine ſubciliato, ſubnitido. Palpis anticis, longitudine duplici capitis, longioribus quam in coſpeciebus; articulo ſecundo et tertio clauato-elongatis; quarto autem adeo breui et ſubtili vt vix oculo armato ſe oſtendat. Maxillis teſtaceo-piceis. Labio exeunte in lacinias duas porrectas filiformes; palpis duobus gracilibus, longitudine laciniarum, his et illis teſtaceis.

*Thorax* nitidus, conuexus, longitudine duplo latior, apicem verſus anguſtior.

*Coleoptra* transuerſa, elytris fere quadratis, margine apicali ſinuato, opaca, coriacea, ſubtiliſſime et confertiſſime puncta.

*Abdomen* coleoptris triplo longius, ſubopacum.

*Pedes* opaci, nigri, tarſis fuscescentibus.

Habitat Brunſuigae. Dom. *Dahl* indiuidua eius ſeptem in prato, ad radices ſalicis, tempore hyberno, legit.

*A. excuſa* — *Knoch.*

*Illiger* hanc ſpeciem *Tachyporus praemorſus* nuncupabat. *Karſten* genus huius micropteri *Gymnuſa*, ſpeciem *ſinuata* nominauit.

67. *A. dubia*, ore producto, palpis longis; nigro-fusca, ſubnitidula, tenuiſſime griſeo-ſericans;

ricans; pedibus ſegmentorumque marginibus pallidioribus.

*Long.* 1 — 1⅓ lin.

*Caput* perparuum, obſcurum; antennis filiformibus, capitis thoracisque longitudine, fuscis; labro producto teſtaceo; palpis anticis longioribus fuscis, triarticulatis, (articulo quarto, aliis Aleocharis tenuiſſimo, deficiente), poſticis gracilibus teſtaceis.

*Thorax* longitudine duplo fere latior, apicem verſus anguſtatus gibbulus.

*Coleoptra* elytris latitudine paulo longioribus, ſubquadratis.

*Abdomen* apicem verſus anguſtatum, piloſellum (vt in Tachyporis), obſcurum, marginibus ſegmentorum vltimorum ſubpallidioribus.

*Pedes* teſtacei, femoribus baſi fuscescentibus.

Habitat Brunſuigae — *Dahl.*

*Al. dubia* — *Knoch.*

68. *A. minuta*, ore producto, palpis longioribus; ſubopaca, griſeo-fusca, tarſis teſtaceis.

*Long.* ½ — ⅘ lin.

Ab Al. praecedente, thorace minus gibbulo, nitore pauciore, colore et magnitudine differt.

*Caput* obſcuro-griſeo-fuscum; antennis, extrorſum paulo craſſioribus; capitis thoracisque longitudine, fuscis; labro producto teſtaceo;

ceo; palpis anterioribus longioribus, 3 articulatis, fuscis.

*Thorax* tranſuerſus, coleoptrorum magnitudine, apicem verſus minus anguſtatus quam in ſpecie praecedente.

*Coleoptra* elytris quadratis.

*Abdomen* nigro-fuscum, minus piloſum quam in ſpecie praecedente.

*Pedes* fusci, tarſis geniculisque teſtaceis.

69. *A. morion* M. p. 97.

*Varietas* ſubopaca, tarſis tibiisque fuscescentibus, habitat Pariſiis — *Desmareſt*.

*Varietas* capite thorace et coleoptris ſubgriſeo-fuscescentibus, habitat Norimbergae — *Sturm*.

70. *A. pumilio* M. p. 98.

71. *A. puſillima* nitida, nigra; coleoptris fuscescentibus; antennis pedibusque rufescentibus.

*Long.* $\frac{1}{3}$ lin.

*Statura* partiumque forma et proportione omnino Al. praecedentis; ſed differt magnitudine fere duplo minore, nitore ſplendidiore, coleoptris leuibus impunctis (quae illi, oculo armato examinata, puncta ſunt), margine apicis integro.

*Caput* antennis apicem verſus valde incraſſatis, vt in *Al. pumilione*, fuscis, baſi teſtaceis; palpis teſtaceis.

*Abdomen* ano pallescente.

Habi-

Habitat Brunſuigae, tempore vernali, ad ripas — *Dahl.*

FAMILIA V.

72. *A. nana* M. p. 98.

73. *A. polita* M. p. 99.

FAMILIA VI.

74. *A. depreſſa* M. p. 100.

*Varietatem* fuscam; thoracis coleoptrorumque lateribus paulo pallidioribus; abdominis ſegmento primo rufescente; pedibus teſtaceis; capite atro, antennarum fuscarum articulis 3 primis palpisque rufo-teſtaceis; long. $1\frac{2}{3}$ lin. — Dom. *Dahl.* Brunſuigae cepit, et mecum ſub nomine *Al. commoda Kn.* communicauit.

*Varietas* altera, coleoptris nigro-fuscis, in collectione *Boſciana* mihi ſub nomine *Staph. tenuis Fabr.* occurrit. — Eandem varietatem autem, abdomine rufescente, ſegmentis duobus mediis fuscis, Dom. *Dahl* mecum ſub nomine *Al. ſulua Kn.* communicauit. His Al. fuluis Kn. thorax minus depreſſus eſt, quam reliquis, quo haec familia cum familia tertia nectitur. Dom. *Dahl* legit hanc var. Brunſuigae, tempore aeſtiuo, in locis arundinaceis.

75. *A. graminicola* depreſſiuscula, nigra, nitida; antennis, palpis, pedibusque fuscescentibus.

*Long.*

*Long.* $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

*Statura* depreſſa nec non forma ac proportione partium *Al. depreſſae* (n. 74.) adeo eſt affinis, vt, niſi differentia coloris adhuc obſtaret, nullo modo haeſitarem, hanc ſpeciem pro varietate *Al. depreſſae* declarare. — Quaedam indiuidua, corpore minus depreſſo et magis conuexo, tranſitum in familiam III., cuius ſpeciebus confinia ſunt reliquis characteribus, euidentiſſime demonſtrant.

Habitat Brunſuigae, lecta in ſyluis, ad culmos graminum — *Dahl.*

*A. graminicola* — *Knoch.*

76. *A. deplanata* M. p. 100. nigra, nitida; coleoptris piceo-fuscis; palpis pedibusque teſtaceis.

*Caput* antennis fuscis, capite paulo longioribus, articulo primo clauato, ſecundo minore, tertio et quarto minimis, ſequentibus multo craſſioribus.

*Thorax* longitudine duplo fere latior, coleoptris multo breuior, ſed eorum latitudine; canaliculis longitudinalibus parallelis tribus obſoletis impreſſus, media integra, lateralibus abbreuiatis, a baſi thoracis vsque ad eius medium ductis.

*Coleoptra* quadrata, ſutura profunda.

---

## GENVS VII.

## LOMECHVSA.

Microptera quae ad hoc genus cenſentur, quibusdam characteribus cum Aleocharis cognata ſunt; toto attamen charactere externo, praecipue in forma thoracis expreſſo, ab eis differunt. *Thorax* nempe marginatus eſt, marginibus latis eleuatis vel aſcendentibus; disco conuexiusculo, ſulco longitudinali medio, interdum obſoletiore, canaliculato. *Abdomen* craſſius eſt, quam in vlla Aleocharарum ſpecie.

Characteres, omnibus huius generis ſpeciebus communes, ſunt

*Corpus* craſſum, marginatum.

*Caput* thorace circiter triplo minus; fronte planiuscula, ſaepius ruguloſa. *Palpis* acuminatis. *Antennis* articulo primo craſſo, cylindrico, rarius clauato; ſecundo breui, clavato; tertio paulo longiore clauato; ſequentibus pateraeformibus: vltimo ouato, acuto.

*Thorax* transuerſus; marginibus lateralibus eleuatis; disco conuexiusculo canaliculato; angulis baſeos acutis.

*Coleoptra* transuerſa; elytris ſubquadratis; angulo apicis exteriore acuto.

*Abdo-*

*Abdomen* craſſum, marginatum, apice plerumque ſubreſupinatum; ſegmento penultimo plerumque appendiculis lateralibus aucto.

*Pedes* graciles, curſorii, nudi.

1. *L. ſtrumoſa* M. p. 91. — *Aleochara ſtrumoſa.*

*Caput* antennis extrorſum gracilioribus.

Delendum eſt in M. p. 92. Synonymum *Staph. emarginatus Payk.* quod ad ſpeciem ſequentem refertur.

2. *L. emarginata*: antennis filiformibus, capite thoraceque longioribus; nitidula, fuſca, coleoptris pallidioribus.

*Long.* $1\frac{2}{3}$ — 2 lin.

*Statura* minore et antennis extrorſum haud gracilioribus a *L. ſtrumoſa* differt; thorace paulo longiore, apicem verſus paulo anguſtiore, a *L. paradoxa*; multisque aliis characteribus a *L. dentata.*

*Caput*, fronte ruguloſa, nigro-fuſcum; antennis, capitis thoracis elytrorumque longitudine, filiformibus, rufo-fuſceſcentibus, ſubſericantibus, articulo vltimo elongato nitido; ore rufeſcente.

*Thorax*, coleoptris paulo minor, longitudine paulo latior; ſubtiliſſime et confertiſſime punctus, obſolete canaliculatus; angulis apicis obtuſis, baſeos productis acutis; fuſcus, marginibus lateralibus eleuatis pallidioribus.

 Coleo-

*Coleoptra* transuerſa, elytris quadratis; rufo-caſtanea, ſubſericantia, angulis apicis ſubacutis.

*Abdomen* craſſum, coleoptris triplo longius, fuscum, ſegmentorum marginibus pallidioribus; ſegmento penultimo laminis duabus lateralibus, paruis, triangularibus, margine ciliatis, exſertis, aucto; ventre piloſello, pilis diſtinctis, nec vero confertiſſimis.

*Pedes* obſcuro-rufi, nitidi.

Habitat Brunſuigae, vnde Dom. *Dahl* eam mecum communicauit, et in Suecia, vnde Dom. *de Gyllenhall* ſpecimina huius ſpeciei plura Domino *Sturm* miſit, qui eam mecum communicauit.

*Staph. emarginatus Fabr.* Ent. Syſt. St. n. 46.
—— —— *Payk.* Mon. Staph. n. 56. —
Faun. Suec. Staph. n. 44.

3. *L. paradoxa*, antennis filiformibus, capite thoraceque longioribus; rufo-fusca, coleoptris pallidioribus, capite fusco.

*Long.* fere 2 lin.

Affinis ſpeciei praecedenti, differt autem antennis et articulo earum vltimo pauló breuioribus; thorace latiore et breuiore, nulloque modo puncto, nec apicem verſus anguſtato, ſed angulis apicis ſolummodo rotundato-obtuſis. Reliqua omnia, praeter colo-
rem

rem paulo pallidiorem, cum deſcriptione *L. emarginatae* quadrant.

Habitat Pariſiis, vnde eam retuli, ſub lapidibus, teſte *Olivier.*

*Staph. emarginatus Olivier* Ent. St. n. 44. tab. II. f. 12.

4. *L. dentata* antennis extrorſum craſſioribus, capitis thoracisque longitudine; nigra, thoracis lateribus et elytris brunneis, his angulo apicis exteriore acutiſſimo.

*Long.* 1½ lin.

Haec Lomechuſa a coſpeciebus ſatis differt, imprimis thorace latiore, lateribus rotundiore, marginibus minus eleuatis, punctura craſſiore; angulo apicis exteriore elytrorum acutiore dentiformi; abdominis ſegmento penultimo ſimplici.

*Caput* nigrum, opacum, ſubtiliſſime punctum; fronte planiuscula, haud rugulosa; antennis, capitis thoracisque longitudine, extrorſum craſſioribus, validis, fuscis, articulo primo clauato rufo; mandibulis ruſis.

*Thorax* longitudine duplo latior, coleoptris vix paulo minor, apice anguſtior; punctus; niger, lateribus nigro-brunneis; canaliculatus; marginibus ſubeleuatis; angulis baſeos acutis.

*Coleoptra* transuerſa; elytris quadratis, obſcuro-caſtaneis, punctis; margine apicali, angulum

gulum exteriorem verſus, emarginato, ita vt angulus exterior ipſe in dentem acutum excurrat.

*Abdomen* nigrum, nitidum, ano palleſcente.
*Pedes* fuscescentes.

Habitat prope Kaiſerslautern, vnde Dom. Profeſſori *Hellwig* miſſa eſt — et in Suecia, vnde Dom. *de Gyllenhall* hanc ſpeciem, ſub nomine *Staph. ſtrumoſus Payk.*, Domino *Sturm* miſit, qui eam mecum communicauit.

*Staph. ſtrumoſus Payk.* Faun. Suec. Staph. n. 45.

---

GENVS,

## GENVS VIII.

## OXYTELVS.

Genus, corpore depreſſiusculo (rarius teretiusculo), antennis extrorſum craſſioribus, thorace ſulcato, abdomine latiusculo obtuſo marginato, palpis acuminatis (excepto attamen *Ox. latipede*, cui palpi filiformes ſunt), bene diſtinctum. Pedes foſſorii; tibiis, praecipue anticis, validis, latioribus quam in vllo alio cogenere, ſpinoſo-ciliatis, huic generi proprii ſunt: Speciebus quidem minoribus (e. g. *O. tenui*, *pedicello*, *fuliginoſo*) tibiae minus validae ſunt, quo *Aleocharis* adpropinquantur; tibiis attamen, caeteris paribus, ſemper validioribus quam in Aleocharis, et thorace ſemper ſulcato vel foueolato (ſulcis interdum obſoletioribus), diſtingui poſſunt. — Genus aliud, cum quo quaedam Oxytelorum ſpecies, e. g. *O. carinatus*, *piceus* etc., primo intuitu, aliquam ſimilitudinem habere videntur, ſunt *Omalia*, et quidem illa eorum, quibus thorax ſulcatus eſt; ſed forma thoracis et eius ſulcorum, coleoptra longa, abdomen latius, ſunt characteres ſufficientes, quibus haec Omalia, ipſumque *Om. rugoſum*, quod habitu Oxytelis magis ſimile eſt, quam vlla alia huius generis ſpecies, ab Oxytelis differunt, nulla tibiarum

biarum graciliorum et palporum ſemper filiformium habita ratione. — Genus nouum exoticum, *Pieſtus* ſcilicet, corpore depreſſo, abdomine obtuſiusculo, thorace ſulcato, coleoptris quadratis, tibiis breuibus validis ſpinoſo-ciliatis, cum hoc genere iungendum foret, niſi antennae palpique filiformes, nec non vitae genus atque victus et habitatio disſuaderent.

Oxyteli commode in tres familias distribui poſſunt: *Familia* I. comprehendit ſpecies thorace rugoſo-ſulcato, ſulcis vel profundis et diſtinctis vel obſoletioribus. — *Familia* II. Oxytelos complectitur thorace ſubleui nitido, ſulco medio longitudinali inciſo. — *Familia* III. Oxytelos ſtatura paulo graciliore et teretiore quam in familis praecedentibus; thorace puncto, medio vel laeui vel ſulco longitudinali anguſto inciſo. Haec familia, iam habitu toto a reliquis Oxytelis diuerſa, ſpeciem quoque continet, quae, palpis filiformibus, nec acuminatis vti in reliquis Oxytelis; thorace puncto, medio leui, nec ſulcato; elytris punctis, interdum ſubpunctoſtriatis, ſaltem in ſyſtemate ſtrenue artificiali nouum genus conderet. Cum autem hic *O. latipes* ſtatura ſit *O. tricornis*, et tibiis latis, vti reliqui Oxyteli maiores, hanc ſpeciem cum reliquis huius familiae ſpeciebus coniungere malui, quam eam in peculiare genus redigere.

## Familia I.

*Corpus* planiusculum lineare.

*Caput* thoracis circiter magnitudine vel paulo minus; punctum vel cicatricoſum; plerumque lineis duabus longitudinalibus, obſoletis, interdum omnino fere euanescentibus, impreſſum. Oculis proſilientibus. Palpis acuminatis. Antennis articulo 1 longiore ſubclauato; 2 breui clauato; 3 paruo; ſequentibus pateraeformibus, crescentibus; vltimo ſuborbiculato, latitudine paulo longiore, apice acuto.

*Thorax* tranſuerſus, coleoptris minor, punctus vel cicatricoſus, ſulcis longitudinalibus, latioribus, nec vero profundis, impreſſus.

*Coleoptra* plerumque ſubquadrata, puncta vel cicatricoſa; linea prope ſuturam, alteraque ab humeris verſus medium elytri deſcendente plerumque impreſſa.

*Abdomen* lineare, marginatum.

*Pedes* femoribus compreſſiusculis nudis; tibiis compreſſis, latiusculis, margine exteriore (in ſpeciebus maioribus) ſpinoſo-ciliato, ante apicem praemorſo.

1. *O. fuliginoſus* M. p. 102. F. 602.
2. *O. pedicellus* M. p. 102.
3. *O. depreſſus* M. p. 103. Huc autem non referendi ſunt *Staphylinus depreſſus Olivieri*, cui thorax F. 595

thorax eſt canaliculatus, canalicula ſubobſoleta, elytra quadrata; nec *Staph. depreſſus Payk.* Mon. St. n. 49. et Faun. Suec. St. n. 58, cui thorax ſulco vnico, minime profundo, impreſſus eſt. Hic *Staph. depreſſus Olivieri* et *Payk.* habitat in ſucco betulae exciſae, et probabiliter ad genus *Omalium* pertinet.

Verum *Ox. depreſſum*, vna cum ſpecie ſequente, in collectione *Boſciana* vidi ſub nomine *Staph. minutus Olivieri.* Huius autem deſcriptio et delineatio in *Olivieri* Ent. St. n. 56., tab. VI. f. 53., nullo modo ad hos Oxytelos quadrat, optime autem ad *Omalium ſtriatum.*

*Thorax* ſubtranſuerſus, ſubtiliſſime et confertiſſime punctus, coleoptris minor, angulis apicis obtuſiuſculis, ſulcis planiuſculis.

Color niger opacus, ſtatura parua, punctura conferta, ſubtilis, vix oculo armato conſpicua, ſulci thoracis planiores etc. hanc ſpeciem ſatis a coſpeciebus diſtinguunt.

Er. 599. 4. *O. nitidulus* M. p. 107.

*Capite* variat maiore et minore. — *Coleoptra* quibusdam latitudine paulo longiora, quibusdam longitudine paulo latiora eſſe videntur.

Diſtinguitur a ſpecie ſequente ſtatura multo minore.

Confer

Confer quae de *O. nitidulo* ſub ſpecie praecedente monui.

5. *O. carinatus* M. p. 106.

Varietatum huius Oxyteli, loco citato deſcriptarum, plures a D. Prof. *Knoch* pro ſpeciebus peculiaribus habentur, quarum nomina ſpecialia, cum diagnoſibus et deſcriptionibus, hic addam:

a) *O. carinatus*, thorace transuerſo, craſſe puncto, coleoptris paulo minore; angulis apicis ſubacutis; ſulco medio apice lato, baſin verſus ſenſim deſinente; ſulcis duobus adiacentibus baſi latioribus, apicem verſus anguſtatis. Fr. 588.

*Long.* $2\frac{1}{2}$ lin.

*Color* variat: Plerumque niger eſt; antennis pedibusque fuſcis; interdum antennarum articulo primo pedibusque rufis; elytris etiam rufo-fuscescentibus; rarius elytris rufo-teſtaceis, baſi nigricantibus, thorace rufescente (huc pertinet *O. pulcher* M. p. 107.)

b) *O. ſculpturatus*, thorace transuerſo, cicatriculoſe puncto, coleoptris paulo minore; angulis apicis ſubacutis; ſulco medio apice latiore, baſin verſus anguſtato; ſulcis duobus adiacentibus baſi vix paulo latioribus. Fr. 592.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ — 2 lin.

*Color* niger; pedibus rufescentibus; elytris interdum fuscescentibus.

*Thorax*

*Thorax* confertim cicatriculoſus, cicatriculis longitudinalibus.

*Varietatem O. ſculpturati* Dom. Sturm mecum communicauit, longitudine vix 1 lin. excedente, ſubnitidulam, punctura ſubtiliſſima.

Fr. 593. c) *O. inuſtus*, ſulcis, atque punctis thoracis vt in praecedente; mandibulis autem validis.

*Long.* 1¾ lin.

Ab Oxytelis praecedentibus imprimis differt capite laeui, haud cicatriculoſe puncto, mandibulis validioribus, thorace conuexiore, ſulcis minus profundis.

*Caput* thoracis magnitudine, laeuiusculum, nigrum; antennis nigro-fuscis, capite longioribus; mandibulis validis rufis.

*Thorax* coleoptris vix paulo minor, conuexiusculus, baſin rotundatam verſus ſubanguſtatus.

*Coleoptra* quadrata, cicatriculoſo-puncta, nigro-fuscescentia.

*Pedes* teſtacei, femoribus obſcurioribus.

Huius Oxyteli ſpecimen modo vnicum exſtat in collectione *Knochiana.*

d) *O. inſignitus*, thorace transuerſo, cicatriculoſo, coleoptris paulo minore; angulis apicis acutis; ſulcis dorſalibus vbique eiusdem latitudinis, medio forſan in medio paulo anguſtiore quam baſi et apice.

*Long.*

*Long.* 1¼ lin.

*Caput* magnum, thoracis magnitudine, ſubtiliter cicatriculoſum, nigrum; antennis fuscis, baſi rufescente; mandibulis et palpis ruſo-teſtaceis, longioribus quam in reliquis Oxytelis.

*Thorax* niger.

*Coleoptra* picescentia, cicatriculoſa.

*Pedes* teſtacei.

Huius etiam Oxyteli, qui in America ſeptentrionali habitat, ſpecimen modo vnicum in collectione *Knochiana* vidi.

e) *O. inſecatus*, thorace ſubtranſuerſo, cicatriculoſo, coleoptrorum magnitudine; angulis apicis ſubacutis; ſulcis et cicatriculis vt in *O. ſculpturato*, a quo autem differt colore, ſtatura graciliore, thorace anguſtiore, coleoptris quadratis, quae illi transuerſa ſunt.

*Long.* 2 lin.

*Color* niger, palpis pedibus elytrisque pallidis.

Nondum diiudicare audeo, an Oxyteli, ſub hoc numero deſcripti, re vera ſpecies ſint genuinae; an ſpecies ſint quidam intermediae ſeu ſpuriae, e copula ſpecierum duarum genuinarum ortae; an merae varietates. Obſeruationibus egemus accuratioribus et pluribus, quo dubia noſtra diſſipentur. Plurimi horum Oxytelorum rariſſime occurrunt; *O.*

*carina-*

*carinatus* et *ſculpturatus* frequentiſſime. Characteres praecipui, quibus *O. carinatus* ab *O. ſculpturato* diſtingui poteſt, de thorace, puncto illius, cicatriculoſo alterius, nec non de ſulco medio, apicem verſus prorſum deſinente illius, anguſtato ſolummodo alterius, deſumti ſunt. Hi characteres, ſi omnibus indiuiduis ſatis diſtincti eſſent, ſufficerent ad diſtinguendam vtramque ſpeciem; ſed hic haeret aqua; Sulcus anguſtatus, cum paulo magis adhuc anguſtatur, tandem deſinit; punctum, ſi paulo comprimitur, cicatriculae ſimile fit, haec autem, ſi paulo contrahitur, puncto. Et re vera mihi ſunt ſpecimina, quibus iam initium huius commutationis apparet, quamquam nondum omnino tranſeunt. — Thoracis forma dependet a magnitudine capitis: Capite magno, thorax neceſſario apice latior eſſe debet, ad illud recipiendum. Hac vero dilatatione partis anterioris thoracis angulos eius anteriores acutiores fieri oportet. Inde in vna eademque ſpecie, cuius indiuidua capite variant maiore et minore, thoracis anguli anteriores acutiores et obtuſiores eſſe poſſunt, quod praecipue in *O. piceo* obſeruaui.

6. *O. piceus* M. p. 105. — thorace tranſuerſo, puncto, coleoptris minore angulis apicis ſubobtu-

obtuſis; ſulcis dorſalibus vbique eiusdem latitudinis.

*Long.* $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

*Color* niger; ore, antennarum baſi, pedibus et elytris teſtaceis, his interdum piceo-teſtaceis.

Ne ratione quidem habita coloris, qui attamen huic ſpeciei conſtantior eſſe videtur, *O. piceus* ab *O. carinato* forma ſulcorum, imprimis ſulci medii, ab *O. ſculpturato*, *inuſto* et *inſecato*, non ſolum forma ſulcorum, ſed etiam punctura thoracis, ab *O. inſignito* proportione partium et punctura thoracis distingui poteſt.

Huic Oxytelo alius affinis eſt, quam D. Prof. *Knoch O. ſculptus* nuncupauit. Differt thorace lateribus ſubrotundatis, baſin verſus paulo anguſtiore, coleoptris breuiore et paulo anguſtiore, fusco ſeu rufo; coleoptris quadratis, rufescentibus ſeu piceo-teſtaceis; abdomine fusco vel piceo-rufo. Habitat in Germania et in America ſeptentrionali. Er. 591.

7. *O. caelatus* M. p. 103. Er. 598

Varietas huius ſpeciei occurrit nigra, thorace antennisque fuscis, pedibus ore elytrisque teſtaceis.

*Thorax* huius Oxyteli haud quadrifoueolatus nominari poteſt, foueae enim laterales obſoletiſſimae eſſe ſolent, et, cum minus ob-

ſoletae

ſoletae ſunt, attamen ſub ſpecie impreſſionum leuium tantummodo ſe praebent.

Quaedam de hoc Oxytelo et de varietatibus intermediis ſub ſpecie ſequente adhuc monebo.

Er. 603. 8. *O. corticinus* niger, nitidulus; antennis pedibusque fuscis; thorace ſuborbiculato, opaco, foueis duabus ſubobſoletis.

*Long.* 1 lin.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, opacum, nigrum; ore antennisque fuſceſcentibus, his capite duplo longioribus.

*Thorax* ſuborbiculatus, vix longitudine paulo latior, baſin verſus ſenſim ſubanguſtatus, coleoptris paulo minor; foueis duabus diſci ſubparallelis longitudinalibus, nec baſin nec apicem thoracis attingentibus, baſi autem paulo diſtinctioribus, impreſſus; niger, ſubopacus.

*Coleoptra* quadrata, puncta, nigro-fusca, nitidula, interdum ſubgriſeo-ſericantia.

*Abdomen* elongatum, elytris quadruplo longius, nigrum, nitidulum, ſubgriſeo-ſericans.

*Pedes* fusci, apicibus tibiarum tarſisque pallidioribus.

Hic Oxytelus differt a ſpecie praecedente, ſtatura minore et graciliore; punctura ſubtiliore, punctis thoracis laterum, quae illi diſtin-

diſtincta ſunt, deficientibus; foueis thoracis haud arcuatis ſed fere parallelis rectis; colore obſcuriore elytrorum et pedum.

Habitat in Boruſſia et in Germania paſſim. Quaedam ſpecimina prehendi vere primo, in locis apricis, ſub lapidibus.

Sunt nonnulla Oxytelorum ſpecimina, quae medium tenere videntur inter *O caelatum* et *corticinum.*

a) *O.* thorace bifoueolato; nigricans, nitidulus; elytris fusco-piceis; baſi antennarum, palpis et pedibus teſtaceis.

*Statura* minore et graciliore quam *O. caelatus*; paulo tamen maiore et craſſiore quam *O. corticinus.*

*Thorax* foueis haud quidem arcuatis, apice attamen paululum diſtantibus, et diſtinctioribus quam in *O. corticino.*

*Punctura* thoracis elytrorumque ſubtilis eſt vt in *O corticino.*

*Coleoptra* latitudine paulo longiora.

Hic Oxytelus, vnicus in mea collectione, idem eſt, cuius iam mentionem feci M. p. 104. ſub var. 4. *O. caelati.*

b) *O.* thorace puncto antecollari et foueis duabus impreſſo; niger, nitidulus, antennis pedibusque pallidioribus.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Statura* intermedia inter *Ox. caelatum* et *corticinum.*

*Caput* nigrum, palpis et antennarum baſi teſtaceo-rufis.

*Thorax* foueis duabus longitudinalibus, vix paululum arcuatis, apice attamen magis diſtantibus, punctoque diſtincto (qui interdum etiam in *O. caelato* obſoletiſſime adeſt) ſupra apices fouearum, nec non impreſſione laterali diſtincta impreſſus.

*Coleoptra* latitudine paulo longiora; linea longitudinali humerali diſtinctiore quam in *O. corticino* impreſſa.

*Punctura* thoracis et elytrorum ſubtilis eſt.

*Pedes* rufi, femoribus interdum obſcurioribus.

Huius Oxyteli ſpecimina duo Dom. *Sturm* beneuolenter mecum communicauit. — Forſan ſpecies eſt peculiaris, cum, thoracis puncto antecollari et impreſſione laterali diſtinctis; non tam medium tenet inter *O. caelatum* et *corticinum*, quam ab vtroque differt.

### Familia II.

*Corpus* planiusculum lineare.

*Caput* thoracis magnitudine vel paulo minus, impreſſione inter antennas excauatum; palpis et antennis vt in familia prima.

*Thorax*

*Thorax* transuerſus, apice truncatus, lateribus et baſi rotundatus; coleoptrorum magnitudine; punctis cicatriculoſis magis minusue impreſſus; linea longitudinali medio canaliculatus.

*Coleoptra* quadrata, cicatricoſo-puncta.

*Abdomen* marginatum, lineare.

*Pedes* vt in familia praecedente, tibiis anticis autem margine exteriore ante apicem exſciſſo.

9. *O. morſitans* M. p. 108. — Er. 586

10. *O. cornutus* M. p. 109. — — — Er. 586

Haec ſpecies capite quidem bispino ab *O. morſitante* ſatis differt; quaeritur autem, an non haec cornua differentiam ſolummodo ſexualem reſpiciant, quod vtique analogiae reſpondet, cum in multis aliis coleopterorum ſpeciebus, praecipue *Geotrupum*, *Copridum* nec non in *O. tricorni* haec differentia ſexualis indubitata ſit. *O. cornutus* multo quidem rarior occurrit quam *O. morſitans*, nec eum vnquam prehendi, licet hic vulgatiſſimus ſit; ſed *Copridis Taurus* mas quoque multo rarior eſt quam femina, quae frequens in fimo habitat.

## Familia III.

*Corpus* teretiusculum, lineare.

N 2 *Caput*

*Caput* thorace paulo minus, puncto-cicatricoſum; tuberculo inter antennas ſubeleuato; palpis plerumque acuminatis (in *O. latipede* filiformibus); antennis, articulo primo longiore, ſubclauato, ſecundo breui clauato, tertio tenui, ſequentibus creſcentibus pateraeformibus, vltimo ſuborbiculato, latitudine paulo longiore, apice acuto.

*Thorax* conuexiuſculus; ſubquadratus, angulis rotundatis; coleoptris minor; puncto-cicatricoſus; linea media longitudinali plerumque canaliculatus.

*Coleoptra* connexiuſcula, quadrata, puncta ſeu puncto-cicatricoſa.

*Abdomen* lineare, conuexiuſculum, marginatum.

*Pedes* femoribus compreſſiuſculis, nudis; tibiis compreſſis, latiuſculis, margine exteriore ſpinoſo-ciliato; tarſis gracilibus, articulis 4 tranſuerſis, quinto elongato ſubclauato.

11. *O. tricornis* M. p. 109.

Oxytelos, loco citato ſub hac ſpecie conjunctos, Dom Prof. *Knoch* in duas ſpecies peculiares ſeiungendos eſſe putat. Indiuiduis ſcilicet maioribus, thorace ſcabro, punctis craſſis ſubcicatriculoſis; longitudine 3 linearum, nomen remanet *O. tricornis*. Minores autem, thorace conuexiore ſubtiliusque puncto;

cto; punctura quoque elytrorum ſubtiliore; longitudine 1½ linearum; ſeu verum *Staph. armatum Panz.* Dom. Prof. *Knoch* pro ſpecie peculiari declarat. Mihi autem ſunt ſpecimina, quae, omnibus datis characteribus, medium tenent inter *O. tricornem* et *armatum*, et ambas ſpecies coniungunt. Omnibus eſt caput in medio frontis ſubtuberculatum; e ſingulis thoracis punctis pili nascuntur ſinguli breues tenues fului, qui, cum thorax ita inſpicitur, vt baſis eius faciem inſpicientis verſus directa ſit, colorem efficiunt fuluoſericantem; hic color ſericeus in ſpecie minore autem diſtinctior eſt, quam in ſpecie maiore.

Dom. *Dahl* prehendit *O. armatum* tempore verno, ſub foliis deciduis, in ſyluis.

12. *O. pallipes* nitidulus, punctus, niger; ore pedibusque teſtaceis; thorace ſubuniſulcato.

*Long.* 2 lin.

Habitu, ſtatura, partiumque forma proportione et punctura omnino cum ſpeciminibus intermediis inter *O tricornem* et *armatum* congruit; colore autem ſemper differt.

*Caput* et *thorax* indiuiduorum omnium, quotquot eorum vidi, inermes erant.

*Femora* interdum fuscescunt.

Habi-

Habitat in Gallia et Germania. Dom. Dom. *Desmareſt*, *Sturm* et *Dahl* hanc ſpeciem mecum communicauerunt. Dom. *Dahl* legit ſpecimina plura Brunſuigae, in gramine ad foſſas.

Quamuis autem omnia quae vidi ſpecimina ad vnam eandemque ſpeciem referenda ſint, attamen quasdam obſeruo differentias inter *O. pallipedem germanicum* et *O. pallipedem gallicum:* Illi thorax nempe paulo conuexior, punctura paulo ſubtilior eſt, punctis elytrorum adhuc quidem diſtinctis, thoracis autem ſubtiliſſimis; ſulca thoracis quibusdam indiuiduis obſoleta eſt, quibusdam omnino extincta, eiusque loco linea nitida obſoleta ſupereſt. Obſeruo etiam in *O. pallipede gallico* puncta duo maiora in disco thoracis, quae *germanico* vel omnino deſunt, vel, et quidem ſpeciminibus illis, quibus ſulca longitudinalis thoracis omnino deeſt, obſoleta ſunt.

13. *O. latipes* palpis filiformibus, haud acuminatis; thorace poſtice truncato.

*Long.* $2\frac{1}{3}$ lin.

*Corpus* nitidum, fere cylindricum.

*Caput* ſuborbiculatum, thoracis magnitudine, nigrum, punctum, ad baſin leuius. Oculis paruis lateralibus. Labio palpisque rufis. Antennis capite longioribus, piloſellis, rufis; articulo primo clauato longiore; ſecundo

cundo paulo tenuiore et breuiore; 4 ſequentibus minimis, campanulatis, creſcentibus; 7 — 10 maioribus campanulatis; vltimo ſuborbiculato.

*Thorax* obſcuro-fuscus; latitudine et longitudine coleoptrorum; conuexus, baſin verſus ſenſim paulo attenuatus; punctus, punctis dorſalibus in ſeries duas diſpoſitis, ora laterali apicem verſus anguſtata.

*Scutellum* paruum, triquetrum, obſcuro-fuscum.

*Coleoptra* ſubquadrata, obſcuro-fusca; puncta, punctis interdum in ſeries ſubdiſpoſitis.

*Abdomen* nigrum, ſubpunctum, ſubpiloſellum, craſſum, cylindricum, ſegmento quinto reliquis longiore.

*Pedes* foſſorii, ruſi. Capitibus femorum aequalibus. Femoribus compreſſis. Tibiis foſſoriis dilatatis, compreſſis; margine infero recto vel ſubconcauo, exteriore conuexo, ciliis rigidis fimbriato. Tarſis gracilibus.

Habitat in America ſeptentrionali. Exſtat in collectione *Knochiana.*

Cum hoc inſectum palpis inſtructum ſit filiformibus, antennis extrorſum craſſioribus, thorace immarginato baſi truncato, Tachinis adnumerandum foret, ſi ſolos characteres artificiales, M. p. 134. datos, reſpiceremus.

Habi-

Habitu autem toto et, exceptis vltimis palporum articulis, partibus etiam ſingulis cum Oxytelis huius familiae plane congruit. Certo ſyſtematis naturalis nullam haberemus rationem; cum hoc micropteron Tachinis adiungeremus. Oxytelis autem, ſicut huc vsque determinati erant, ob characteres per ſyſtema artificiale conſtitutos, haud adſociari poteſt. Eodem ergo iure, quo Aſtrapaei genus olim a Staphylinis disiungebatur, quibus attamen ſimillimum eſt, hoc etiam inſectum genus nouum, ab Oxytelis ſeparatum, conderet, niſi regula ſyſtematis naturalis, i. e. character totus externus ſeu habitus totus, disſuaderet.

---

Genvs

## Genvs IX.

## EVAESTHETVS.

Micropteron, e quo cel. *Knoch* nouum genus, ſub nomine *Euaeſthetus*, condidit, debemus Dom. *Dahl*, inſectorum felici et indefeſſo indagatore, qui hoc inſectum primo Brunſuigae legit. Hoc genus, ratione ſtaturae et thoracis ſulcati, aliquam prodit affinitatem cum *Oxytelis*; accuratius autem et oculo bene armato examinatum, plures praebet characteres, quibus ſatis ab illis differt, imprimis fabrica peculiari *palporum* et *antennarum*.

*Statura* paulo craſſior eſt et conuexior quam Oxytelis.

*Caput* thorace paulo minus, punctis ſcabrum. Antennis capite paulo longioribus, extrorſum craſſioribus; articulo primo clauato, ſecundo perbreui, tertio longiore et validiore quam ſecundus, 4–8 minutis ſubtransuerſis, 9 et 10 multo craſſioribus transuerſis, vltimo omnium craſſiſſimo, ouato, apice acuminato. Clypeo lato integro. Mandibulis falcatis. Palpis anterioribus capitis longitudine, triarticulatis; articulo primo clauato; ſecundo multo breuiore et anguſtiore quam primus; tertio ouato, reliquis craſſiore, ſubacuminato.

(Hoc

(Hoc acumen vix oculis optime armatis diſtinguere potui et dubius adhuc haereo, an acumen illud articulus ſit peculiaris an non). Oculis proſilientibus lateralibus ad baſin capitis.

*Thorax* latitudine longitudinis, baſin verſus anguſtatus; coleoptrorum longitudine, ſed duplo fere anguſtior; punctus; bifoueolatus, foueis diſci oblongo-ouatis, apicem verſus anguſtioribus.

*Coleoptra* transuerſa, elytris fere quadratis; puncta, circa ſcutellum impreſſa.

*Abdomen* craſſiusculum, marginatum.

*Pedes* tibiis haud ſpinoſis; articulis tarſorum paruis.

1. *E. ſcaber* fuscus, nitidus; capite rufo, antennis palpis et mandibulis pallidioribus; pedibus fusco-rufis.

*Long.* $\frac{2}{3}$ lin.

*Caput* rufum; antennis rufo-teſtaceis, articulo vltimo fusco; mandibulis et palpis teſtaceis.

*Abdomen* elytris triplo fere longius, nigrofuscum.

Habitat Brunſuigae — *Dahl.*

*Euacſthetus ſcaber* — *Knoch.*

---

## Genvs X.

## OMALIVM.

Hoc genus, habitu depreſſiusculo, coleoptris thorace longioribus, ſaepius abdominis maximam partem tegentibus, thorace transuerſo, dignoſcitur. — Comparationem huius generis cum *Oxytelis* vide ſupra, vbi de Oxytelis diſſerui. — Praeter coleoptra longa et habitationem ſpecies huius generis pauca tantum communia cum *Anthophagis* habent. Palpi quidem et pedes inſectis vtriusque generis ſimiles ſunt, habitus vero totus diſſimilis: Anthophagis nempe ſunt coleoptra thorace multo latiora; hic ſubquadratus, baſin verſus anguſtior; antennae filiformes. — Sicut vero in familia prima Tachypororum tranſitus ſe oſtendit in aliud Coleoptrorum genus, quod non Micropteris adnumeratum eſt, ſic etiam in hoc genere: Quaedam ſpecies *Omaliorum* e familia ſecunda, e. g. *O. pallidum* et *ophthalmicum*, cum genere *Katerctes* (Herbſtii) affines eſſe videntur, ratione habita habitus totius externi, imprimis thoracis transuerſi et coleoptrorum longitudinis; ſed Kateretibus ſunt antennarum articuli tres vltimi reliquis multo craſſiores, thorax immarginatus, et tarſi quadriarticulati (haud triar-

triarticulati, vti in *Herbſtii* Syſtematis Coleopterorum Tom. IV. pag. 11. tab. I. dictum et delineatum eſt. Omaliis autem antennae quidem extrorſum craſſiores ſunt, ſed articuli 4 ad 11 ſenſim creſcunt; thorax lateribus eſt marginatus; tarſi quinquearticulati, vt omnibus coleopteris micropteris.

Omalia, ſecundum longitudinem elytrorum, cum thoracis longitudine collatam, in duas familias ſegregantur; *Fam.* I. Coleoptris thorace paulo longioribus. *Fam.* II. Coleoptris thorace duplo et plus duplo longioribus.

## FAMILIA I.

Er. 636. 1. *O. planum* M. p. 112.

Deſcriptioni, loco citato datae, quaedam addenda ſunt:

*Color* variat: 1) niger; coleoptris fuſceſcentibus; ore, baſi antennarum, pedibusque pallidioribus. 2) fuſcus; thorace elytrisque piceſcentibus; ore, baſi antennarum, pedibusque teſtaceis.

*Long.* $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{5}$ lin.

*Caput* foueolis longitudinalibus duabus inter antennas impreſſum.

*Thorax* transuerſus, longitudine fere duplo latior, baſin verſus paulo anguſtior, trifoveolatus, foueis diſcoidalibus longitudinalibus

bus, quarum laterales breues ſunt, nec apicem nec baſin thoracis attingunt, intermedia autem recta integra eſt, baſin et apicem thoracis attingens, apice attamen plerumque magis dilatata. Hae foueolae autem interdum ſubobſoletae ſunt.

*Coleoptra* thorace duplo fere longiora ſunt.

2. *O. depreſſum* M. p. 113. Er 635

Varietas huius ſpeciei obſcuro-fuſca, ore, antennis, pedibusque rufescentibus, habitat Norimbergae — *Sturm.*

3. *O. puſillum* nitidulum, nigrum; thorace bi- Er. 631.
foueolato coleoptrisque fuscis; ore, antennis et pedibus teſtaceis.

*Long.* vix 1 lin.

*Caput* ſuborbiculatum, thorace minus, nigrum; ore et antennis teſtaceis, his, capite thoraceque paulo breuioribus, apice fuscescentibus.

*Thorax* vt in *O. plano;* bifoueolatus, foveolis diſtinctis oualibus ante ſcutellum.

*Coleoptra* fusca, ſubtiliſſime puncta.

*Abdomen* nigricans; ano pallidiore.

Habitat Brunſuigae, raro, ſemel tantummodo captum.

*Varietas* exſtat *intermedia* inter *O. planum* et *puſillum*, thoracis foueolis tribus, intermedia autem obſoletiore.

4. *O.*

4. *O. pygmaeum* nitidum, rufum, conuexiuſculum, capite plerumque obſcuriore; coleoptris punctis.

*Long.* 1 lin.

Habitu nec non forma et proportione partium *Omalii brunnei*, a quo, magnitudine minore, coleoptris haud ſtriatis, thorace haud canaliculato, differt. Ab *O. crenato* magnitudine minore et coleoptris haud crenato-ſtriatis ſe diſtinguit.

*O. brunneum var.* 3. M. p. 114.

Dom. *Gyllenhal* hoc Omalium cum Dom. *Sturm* communicauit ſub nomine *Staphylinus pygmaeus Paykull.*

5. *O. brunneum* M. p. 113., nitidum, rufum; oculis, plerumque toto capite, apice elytrorum et ano nigris; thorace bifoueolato; coleoptris puncto-ſtriatis.

*Long.* 1½ lin.

Ab *Ob. crenato* praecipue thorace foueolato differt. Differentia harum duarum ſpecierum, quam olim etiam de antennarum articulo vltimo deſumſi, nimis ſubtilis eſt; Antennae *O. crenati* paulo longiores et graciliores ſunt quam *O. brunnei;* inde ſequitur, articulos etiam earum paulo graciliores et longiores eſſe debere, quod vero non niſi comparatione antennarum diſtingui poteſt.

*Staph. melanocephalus Ol.* Ent. St. n. 55. tab. IV. f. 32.?

*Omalium* vidi e collectione *Sturmiana*, ſtatura nec non partium forma atque proportione *O. brunnei*, longitudine 2 lin; thorace ſubfoueolato; elytris autem, quod bene notandum, haud puncto-ſtriatis, ſed, vt in *O. pygmaeo*, punctis ſubtilibus impreſſis.

6. *O. crenatum* M. p. 114.

Quaedam de hac ſpecie iam ſub n. 4 et 5 monui.

Cel. *Fabricius* ad *Staphylin. crenatum* in Ent. Syſt. St. n. 26. et in Syſt. Eleuth. St. n. 34. allegauit Payk. Fn Suec. III. 403. n. 47. et Payk. Monogr. Curcul. App. 146. n. 45. E deſcriptione Fabriciana huius micropteri et e citatis patet, vt credo, Frabricium deſcripſiſſe verum *Om. crenatum.* Neſcio antem cur Dom. *Fabricius* in Ent. Syſt. hoc inſectum cum *Staph. ſtriatulo* comparauit, cui ſtaturam et magnitudinem *Staph. fulgidi* tribuit.

7. *O. rufum* M. p. 115. Er 620

8. *O. caſtaneum* nitidum, obſcuro-caſtaneum; antennis, pedibus, elytrisque paulo pallidioribus; thorace orbiculato. Er. 620

*Long.* $2\frac{1}{2}$ lin.

Habitu Om. praecedentium; ſtatura autem graciliore, thorace orbiculato etc. differt.

*Caput* nigricans, antennis palpisque rufis.

*Thorax* orbiculatus, punctus, lateribus marginatus, coleoptris breuior et vix anguſtior.

*Coleoptra* puncto-vel crenato-ſtriata.

Habitat Norimbergae — *Sturm.*

9. *O. brachypterum* M. p. 114.

10. *O. curſor* nitidum, nigrum; elytris pedibusque picescentibus.

*Long.* $1\frac{1}{3}$ lin.

*Caput* orbiculatum, thorace paulo minus, leue, nitidum, nigrum; antennis, capite thoraceque paulo longioribus, fuscis.

*Thorax* conuexiuſculus, ſuborbiculatus, coleoptris paulo minor, nitidus, leuis, niger.

*Coleoptra* ſubtranſuerſa, nitida, leuia, fusco-picea.

*Pedes* ochracei.

Habitat in Boruſſia — *Hellwig.*

11. *O. rugoſum* M. p. 115.

*Staph. rugoſus Fabr.* Ent. Syſt. St. n. 54. — Syſt. Eleuth. St. n. 66. — E citato, quod *Fabricius* ad hanc ſpeciem allegauit, ſcilicet *Olivier* Staph. n. 42. tab. V. f. 45., apparet, illum *St. rugoſum* Fbr. nihil aliud eſſe quam *O. rugoſum.* Cel. *Paykull Staph. rugoſum Fbr.* perperam ad var. *β. Staph. picei* n. XII., quae verus *Oxytelus carinatus* eſt, allegat.

FAMI-

## Familia II.

12. *O. riuulare* M. p. 116. Er. 629.

*Caput* foueolis quatuor impreſſum, duabus ſcilicet inter oculos, duabus ad baſin; ore rufo.

*Coleoptra* interdum omnino fere nigra ſunt.

Dom. Prof. *Knoch* plures adhuc condidit Omaliorum ſpecies, de quibus autem dubius ſum, an non forſan varietates vnius eiusdemque ſpeciei ſint:

a) *O. caeſum* nigrum; antennis elytrisque pallidioribus; palpis pedibusque rufescentibus; thoracis foueis duabus dorſalibus profundis ouatis. Er. 630.

*Long.* 1 — 1$\frac{1}{3}$ lin.

Statura et partium forma ac proportione *O. riuularis;* ſculptura autem et punctura multo craſſiore et diſtinctiore, nec non forma fouearum thoracis diuerſum.

*Thorax* rugoſus; foueis duabus dorſalibus, longitudinalibus, apicem thoracis haud attingentibus, profundis, interuallo multo anguſtiore quam in *O. riuulari;* puncto ſupra illas foueas impreſſo.

*Coleoptra* plicis longitudinalibus duabus prope ſuturam.

b) *O. inciſum* ab *O. riuulari* non niſi magnitudine minore differre videtur. Sunt quidem ſpecimina, thoracis margine pallidiore diſtin- Er. 629

cta (eaque ſemper inter minora reperiuntur); hic autem character nondum mihi ſufficit ad ſpeciem ſtatuendam ab *O. riuulari* diuerſam. *Abdomen* nigricans eſt vel nigro-fuscum, interdum margine et ventre pallidioribus.

